

**Elementa artis obstetriciae in usum praelectionum academicarum /  
[Johann Georg Roederer].**

**Contributors**

Roederer, Johann Georg, 1726-1763.

**Publication/Creation**

Göttingen : 'Sumptibus Bibliopolii Acad. Privilegiati', 1753.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/wjnkehdu>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>






60

ROEDERER, J.G.  
c









IOANNIS GEORGII ROEDERER

MEDICINAE DOCTORIS, EIVSDEMQUE

PROFESSORIS ET SOCIETATIS REGIAE

SCIENTIARVM GOTTINGENSIS

SOCII EXTRAORDINARIJ.

ELEMENTA

A R T I S

O B S T E T R I C I A E

IN VSVM

PRAELECTIONVM ACADEMICARVM.



GOTTINGAE,

SVMTIBVS BIBLIOPOLII ACAD. PRIVILEGIATI

cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>cc l<sup>iii</sup>.



23318

JOHANNIS GEORGI ROEDERER

MDICINAE DOCTORIS, PUBLICAE

PROFESSORIS ET SOCIETATIS REGIAE

SCIENTIARUM GOTTINGENSIS

SENIORIS AULICAE

ELEMENTA

ARTIS

OBSTETRICIAE

IN VITAM

PRAXIUM ACADEMICARUM.



1813

GOTTINGEN

MDCCCXXXIII

1833

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DOMINO

GERLACO ADOLPHO

L. B.

DE MVNCHHAVSEN

DYNASTAE IN STRAVSFVRTH

RELIQVA

AVGVSTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI

ET

ELECTORI BRVNSVICENSI ET LVNEBVRGENSI

A

CONSILIIS

REGENDI ELECTORATVS

SANCTIORIBVS



MAGNO PER DVCATVM CELLENSEM

ADVOCATO

ET

VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE

CVRATORI EMINENTISSIMO

MVSARVM STATORI ATQVE ANTISTITI

DOMINO SVO AC MAECENATI

INDVLGENTISSIMO

VITAM ET SALVTEM

IOANNES GEORGIVS ROEDERER.



*ILLVSTRIS*

ATQVE

*EXCELLENTISSIME DOMINE.*

**E**t si omnia, quae TIBI adscri-  
pti de summis TVIS virtutibus  
celebrant, encomia gloriae TVAE,  
dudum omni laude maiori, neque  
quicquam addere possunt, neque  
arroganter audent, *ILLVSTRIS-*  
*ME DOMINE*, tantum tamen ab-  
est, vt de illis TVI filere queant,  
vt potius summa TVA beneficia,  
summas virtutes, non solum gra-



tissima mente semper recordentur,  
sed & humillima admiratione prae-  
dicent.

Non itaque vereor, GRATIO-  
SE MAECENAS, TE mihi succen-  
surum esse, quod magno isti agmi-  
ni socium me iungam, quem in-  
dulgentia T V A prosequi non fue-  
ris dedignatus. Iussisti enim, la-  
bore meo qualicumque GEORGIAE  
AUGVSTAE ciuibus inferuire ;  
mandata exequi omnibus viribus  
enitor atque contendo. Scientiar-  
rum partem, propter falso puta-  
tum dedecus exosam, propter  
magnos ex aerariis petendos sum-  
tus vix prosequendam, sub T V O  
Magno umbone, laeta fronte pro-  
mouere studeo. Grauis iudicii



TVI, DOMINE INDVLGENTISSI-  
ME, acies popularibus praeiudiciis  
praeualentem vsum perspexit: ar-  
dor, vt ne ciues academiae, quam  
curas & protegis, quaeque TIBI  
omnia debet, villo bonarum & li-  
beralium artium studio careant,  
maximas difficultates eluctatus est,  
simulque effecit, vt tramite recto  
vlterius progredi mihi liceat. Hac  
itaque summa T V A indulgentia  
fretus audendum existimaui perexi-  
guum hunc libellum TIBI deuo-  
tissima mente offerre, non eum,  
qui ILLVSTRISSIMO NOMINE  
T V O dignus sit, sed qui de animo  
gratiae T V A E atque beneficiorum  
semper memore, deque humilli-  
mo cultu testetur, quique patro-  
cinio egeat, quo ornatus atque sti-



patus tuto in rempublicam litera-  
riam recipi possit.

Ita semper me protegere per-  
gas, *Domine* INDVLGENTISSI-  
ME, precor deuotissimus; ita sem-  
per valeas, fisque quam diutissime  
saluus, superstes, incolumis, &  
florentissimus; ita floreat semper,  
quam amas, academia. Scrib.  
Gotting. d. I. Oct. MDCCCLII.

LECTO-



# LECTORI BENEVOLO

## SALVTEM.

**M**ultorum quidem ex varia gente virorum industria in artis obstetriciae praeceptis tradendis nunquam fuit otiosa, plerique etiam autores integra systemata conscripserunt; quem tamen in praelectionibus academicis sequerer non inveni. Nimia vel addenda fuissent, vel corrigenda, vel penitus reicienda. Quapropter, ut propria dictata praelegerem, iste defectus postulavit. Sed incommodum enascitur, discipulis aequae ac docenti maxime molestum: si theses calamo excipiuntur,



tempus explicationi sacrum fcriptione  
consumitur; fin minus, filum deest,  
quod sequatur auditorum diligentia.  
Incommodum cessat, cum theses, vtut  
mancae, prelo subiiciuntur. Haec oc-  
casio libelli, partim ex propria obser-  
uatione nati; partim ex sinceri in hac  
arte Praeceptoris, quem honoris causa  
nomino, Celeberrimi D. FRIDII, fi-  
delibus & longo vsu comprobatis do-  
ctrinis; partim ex multiplici scripto-  
rum huc spectantium thesauro. Ne-  
que inutilis fuit anatome, praesertim  
animata, omnis fanioris scientiae me-  
dicae firmissimum fundamentum, ex  
qua peluis, vteri & genitalium habitum  
edifcas. Ita quidem nihil temere, ni-  
hil



hil, quod fundamento destituatur, in  
chartam conieci. Nosocomiorum et-  
iam, pro aetate, longior usus vberimum  
naturae fontem aperuit: defuit tamen  
dies, eaque obstetriciae fors est; vt  
(si quaedam excipias) artificiales obser-  
uationes rerum curiosissimarum & ab-  
ditarum, quas experimenta vocant, ip-  
se tibi excitare nequeas, sed ludentis  
naturae phoenomena expectare debeas.  
In summum etiam artis obstetricandi  
detrimentum euenit, vt plurimae ob-  
seruationes a viris, qui earum cogni-  
tioni pares sunt, maneant remotissimae.  
Quae hucusque autem deficiunt, dabit  
dies, atque mihi in primis iam datum  
est, in quo gaudeam, speremque fore



vt ea, quae manca adhuc & imperfecta, ex perpetua obseruatione augere, illa autem, quae confirmata sunt, carissimis auditoribus in ipsa natura demonstrare possim. Non solum enim ex ILLVSTRISSIMI CVRATORIS NOSTRI speciali indulgentia locus concessus est, in quem egenae grauidae recipiantur, sed & ex aerario stipendia dicata sunt, quibus nutrimenta, & quae reliqua partus requirit commoda, comparari possint.

Interim, Beneuole Lector, donec meliora perfici poterint, his vtere, mihi que semper faue.



# TABVLA CAPITVM.

- C. I. Peluis offea. p. 1. §. 1.  
C. II. Vterus virgineus. p. 14. §. 33.  
C. III. Vterus grauidus. p. 21. §. 49.  
C. IV. Ovum. p. 30. §. 68.  
C. V. Theoria partus. p. 40. §. 89.  
C. VI. Virginitas. p. 48. §. 110.  
C. VII. Grauiditas. p. 55. §. 121.  
C. VIII. Partus. p. 72. §. 156.  
C. IX. Status vteri post partum. p. 87. §. 186.  
C. X. Partus diuisio. p. 91. §. 195.  
C. XI. Exploratio. p. 112. §. 237.  
C. XII. De iis, quae peragenda in partu sunt.  
p. 136. §. 247.  
C. XIII. De iis, quae in partu difficili pera-  
genda sunt. p. 173. §. 321.  
C. XIV. Solutio placentae. p. 178. §. 339.  
C. XV. Signa foetus viui & mortui. p. 191.  
§. 373.  
C. XVI. Partus difficilis & praeternaturalis  
propter caput praeuium. p. 199.  
§. 393.  
*Seçt. I.* - - - ob capitis molem. p. 200.  
§. 394.  
*Seçt. II.* - - - ob situm vteri obliquum.  
p. 212. §. 427.  
*Seçt. III.* - - - ob iniquum capitis situm.  
p. 246. §. 505.



α) - - - quo facies versus os pubis dirigitur. p. 247. §. 506.

β) - - - quo facies prima offertur. p. 248. §. 512.

γ) - - - quo foetus in latus est conuersus. p. 253. §. 528.

*Sect. IV.* - - - propter impedimentum quoddam in corpore foetus praesens. p. 258. §. 538.

α) - - - quando funiculus umbilicalis circa foetus collum contorquetur. p. 258. §. 539.

β) - - - quando brachia dorso decussatim incumbunt. p. 262. §. 551.

γ) - - - propter hydropem abdominis. p. 263. §. 554.

δ) - - - quando membrum foetus superfluum vel ipse foetus duplex est. p. 264. §. 558.

*Sect. V.* - - - ob vteri vel vaginae vitium. p. 265.

α) - - - quando corpusculi truncus a constrictio vaginae vel vteri sphinctere retardatur. p. 265. §. 559.

β) - - - quando vterus vel vagina prolabitur. p. 265. §. 564.

**C. XVII.** Partus difficilis & praeternaturalis ob aliam corporis partem, praeter caput, praeviam. p. 270.

*Sect.*



*Sect. I.* Extractio foetus, quae pedibus fit,  
versio dicta. p. 270. §. 572.

*Sect. II.* Agripparum partus. p. 279. §. 596.

*Sect. III.* Partus difficilis & praeternaturalis  
ob genua ad os vteri conuersa. p. 289.  
§. 616.

*Sect. IV.* - - - propter clunes ad os vte-  
ri conuersas. p. 290. §. 619.

*Sect. V.* - - - propter foetum in ilia con-  
uersum. p. 295. §. 631.

*Sect. VI.* - - - ob manum ad os vteri con-  
uersam. p. 296. §. 634.

*Sect. VII.* - - - propter foetum in trans-  
uersum iacentem. p. 301. §. 652.

α) quando collum est praeuium. p. 301.  
§. 654.

β) - - humerus. }  
γ) - - scapula. } p. 302. §. 657.

δ) - - brachium. p. 302. §. 659.

ε) - - pectus. p. 302. §. 660.

ς) - - abdomen. }  
η) - - hypochondria. } p. 303. §. 663.

θ) - - dorsum. p. 304. §. 665.

C. XVIII. Partus difficilis & praeternaturalis  
propter funiculum vmbilicalem exci-  
dentem. p. 305. §. 669.

C. XIX. - - - propter placentam oblatam. p.  
307. §. 676.



- C. XX. - - - propter parturientis conuulsiones. p. 312. §. 687.
- C. XXI. Quomodo caput intra matricem relictum excutiendum sit docet. p. 315. §. 701.
- C. XXII. Partus Gemellorum. p. 320. §. 713.
- C. XXIII. Abortus. p. 326. §. 728.
- C. XXIV. *Sec̄t. I.* Mola. p. 335. §. 756.  
*Sec̄t. II.* Conceptus spurii. p. 340. §. 769.
- C. XXV. Foetus extra vterum haerens. p. 341. §. 774.
- C. XXVI. Partus caesareus. p. 347. §. 790.







ELEMENTA  
ARTIS OBSTETRICIAE  
IN USVM PRAELECTIONVM.

CAP. I.  
PELVIS OSSEA.

§. 1.

**P**artes, quibus foetus in lucem edendus  
continetur, quasque transire cogitur,  
sunt *Pelvis ossea, Uterus atque Genitalia ex-*  
*terna.*

§. 2.

Harum adeo structura & actio artis obste-  
triciae tironi non solum cognitissima sit, sed  
vt hisce specialiora quaedam insuper pernoscant,  
necesse est.

A

§. 3.



## PELVIS OSSEA.

### §. 3.

Pelvis osseae cavitates superius & inferius aperta est. *Superior apertura* fit ab ossium pubis crista, ossium ilium linea eminenti, innominata, atque prima ossis sacri vertebra. A circumferentia elliptica includitur, cuius diameter procedit ab vno ossium ilium ad alterum: coniugata vero, siue minor distantia, à symphysi ossium pubis ad os sacrum.

### §. 4.

*Inferior apertura* fit ab ossium pubis arcu, eorundem atque ossium ischii ramis, ossium ischii tuberositatibus, ligamentis sacro-ischiaticis, atque coccygis osse. Huius circumferentia tam regularem figuram non format, quam quidem aperturae superioris: quod si vero utcumque elliptica habeatur, coniugata, seu minor distantia est ab arcu ossium pubis ad os coccygis, diameter vero, seu maior distantia, ab vno ossium ischii ad alterum.

### §. 5.

Linea, quae in medium diametri aperturae inferioris perpendicularis est, & per mediam cavitatem pelvis transit, *Axin Pelvis* fistit.



fistit. Is in horizontem continuatus, retrorsum projectus, angulum acutum cum eodem intercipit.

§. 6.

Quodsi enim in virgine duo perpendiculara demittantur in idem planum horizontale, vnum ab arcu ossium pubis, alterum ab extremo ossis coccygis: major ossis coccygis ab horizonte deprehenditur distantia, quam arcus ossium pubis, & quidem pollice quasi pedis parifini, & vltra. Quodsi porro triangulum figuretur rectangulum, cujus hypotenusa est diameter aperturae pelvis inferioris; cathetus dictae distantiae differentia, ex legibus trigonometricis calculo instituto, angulus reperitur 72 circiter graduum.

§. 7.

Hoc quidem modo pelvis feminea se habet, at virilis differens est ratio. Namque pelvis virilis

a) Apertura superior, quae feminea est angustior, tribus lateribus curvilineis terminatur, quae in aperturam vsque inferiorem continuantur, superiusque majus, inferius autem minus spatium intercipiunt: anguli



- formantur ad symphyfin ossium pubis, & ad ossium ilium cum osse sacro conjunctionem.
- β) Inde fit, vt minor sit integra capacitas pelvis virilis, quam femineae.
- γ) Ossium pubis rami in pelui virili ad angulum acutum iunguntur: in feminea symphyfis arcum facit ample excauatum.
- δ) Mulierum os sacrum latius est rectiusque, virorum vero minus latum, magisque introrsum flexum.
- ε) Rectius etiam est feminarum os coccygis atque mobilius. Denique
- ζ) lata pars ossium ilium in feminis ad latera magis est expansa atque depressa.

## §. 8.

A natura ita formata peluis feminea aptissima est, vt foetus partus tempore edi possit. Cum enim apertura superior diametrum, in pelui bene constituta, habeat quasi  $5\frac{1}{4}$  pollicum parisinorum, coniugatam autem  $4\frac{1}{4}$  pollicum parisinorum; foetus autem caput proportionis iustae, & a dolorum vi compressum, dimensionibus suis has dimensiones non excedat: foetus utique aperturam hancce libere intrare potest. Cumque praeterea distantia vnus auris ab altera in foetu minor sit  $5\frac{1}{4}$  pollic. paris.



ris., adeoque ad latera spatium justum superfit: eo melius humeros foetus recipit, atque quominus alterutri ossium ilium inhaereant impedit.

§. 9.

Licet vero apertura inferior minor sit superiori, ob diametrum  $4\frac{1}{2}$  pollic. parisin. conjugatam  $4\frac{1}{2}$  pollic. parisin. aequalem conjugatae superiori; sufficiunt tamen hae mensurae, quod minores non sunt volumine capitis compressi. Quo accedit, quod humeri, iam a dolorum vi & ossibus pelvis ad se inuicem pressi, minori spatio indigent. Nimia enim distantia ossium ischii minus conuenientem femoribus cum acetabulo fecisset articulationem; quae tamen & ipsa femora, quoniam in feminis magis distant, quam quidem in viris, fieri hinc solet, vt vterum grauidum melius sustineant.

§. 10.

Quo autem rotundum foetus caput transire possit, rami ossium pubis in arcus formam junguntur. Vtque inferioris aperturae sufficiens sit spatium, os sacrum & os coccygis rectius descendunt. Superiori ossium ilium expansione liberior vtero grauido expansio conceditur.



## §. 11.

Minus apta est pelvis, quae ab haecenus descripta forma recedit: praecipue autem pelvis censetur vitiata

α) Cuius os pubis nimis versus os sacrum ita est pressum, vt coniugatae aperturarum ambarum minuantur, atque hoc modo vtraque apertura angustetur. Eiusmodi *Pelvis compressa* communiter vocatur.

β) Cuius quidem superior apertura debito modo se habet, inferior vero angustatur ab osse sacro, & osse coccygis; quando nimirum haec ossa introrsum nimis verguntur. Pejor redditur haec forma, si immobilitas ossis coccygis accedit.

## §. 12.

Diuersae huius mali sunt causae, inter quas referri possunt: prima conformatio, incongrua puellae gestatio, ossium in prima iuuentute nimia debilitas, rachitis.

## §. 13.

Vitiosa etiam, quamuis minori gradu, censenda est pelvis, cuius os pubis a sacro nimum distat. A prima conformatione haec ortum trahit.



§. 14.

Antiquissimi atque in caeteris summe venerabiles viri ossa pelvis a se inuicem in partu femoueri afferunt: recentiorum vero plurimi in contrariam sententiam transeunt.

§. 15.

Triplex ossium pelvis est articulatio: prima, quae ossibus pubis intercedit; secunda, quae os sacrum cum ossibus ilium necit: quae coccyx ossi sacro adhaeret, tertia est.

§. 16.

Pubis ossa inter se, atque os sacrum cum ossibus ilium cohaerent per synchondrosin, nexus speciem immobilis, qua inter ossa pubis atque ossa ilium & sacrum media haeret cartilago firma, crassa, compacta, cum ipsa ossis substantia firmissime connata, imo ossium fo-veolis implantata, eorumque eminentias vicissim recipiens. Crassior est haec cartilago inter ossa pubis, quam quidem inter ossa ilium & os sacrum. Nexum firmant strictum atque praetentum periosteum, nec non ligamenta strictiora.



## §. 17.

Ita immobilia penitus redduntur haec ossa. Cartilago enim nec supra os vicinum mouetur, firmiter eidem inhaerens, nec supra proprias partes, quae nimis arcto & stipato nexu cohaerunt. Quo minus ab ossibus recedat cartilago, impediunt periosteum & ligamenta.

## §. 18.

Ex sua itaque natura atque nexu non secedunt haec ossa. Ut vero diuellantur hae conglutinationes, accedat oportet vel violentia externa, vel majus cartilaginum incrementum.

## §. 19.

Si forte accidat, ut violenter rumpantur, sequatur necesse est, ut totius trunci basis vacillet, adeoque nec pedes puerperae, nec corpus suum facere recte possit officium, quin imo ut hiatus non modicus inter ossa femotâ digitis percipiatur. Neutrum vero horum post absolutum partum obseruatur, nec hiatus tangitur, nec puerpera impeditur, quo minus aut ingredi, aut corpus sustinere possit.



## §. 20.

Concludimus itaque, in partu violenter haec ossa non sejungi: praesertim cum deficiat vis, quae violentam hanc sejunctionem efficiat. Caput certe foetus, a doloribus intra pelvim pressum, laxius cohaerentia habet ossicula, quae minori vi supra se mouentur, imo prius rumpuntur, quam ossium pelvis articulatio soluitur. Addo, quod nec dolorum impellentium vis tanta est, vt, capite foetus etiam solidissimo, istas articulationes soluere queat.

## §. 21.

Rarissimi sunt casus isti, qui vim tantam demonstrant, quae par sit ac sufficiens his ossibus sejungendis. Tunc forte id fieri posset, quando nempe cartilaginee nectentes ita affectae sunt, vt facile semoucantur, atque periosteum & ligamenta quam maxime sunt relaxata: quale quid accidere potest cachecticae, venerea, &c. in maiori gradu tali. Quodsi hac dispositione praesente accedant dolores vehementiores, caput foetus nimis magnum, obliquum, vel clunes, vtique semoueri ossa pelvis videntur,



## §. 22.

Idem praestare potest violenta foetus monstruosi extractio manualis. Rariora autem haec, morbosa & violenta, pro destruenda superiori sententia mea minime faciunt.

## §. 23.

Multo speciosior argumentatio videtur illorum, qui cum veteribus statuunt, mucum, sub tempore partus copiosissimum, cartilagine emollire, fibrasque ita relaxare, ut a capite impacto elongari istae possint.

## §. 24.

Nihilo fecius talo recto stare haec non videntur, quod via illa demonstrari nequit, quae mucum istum ad orificum vteri, in vagina atque vestibulo secretum, deducat ad cartilagine: quin imo vix ac ne vix quidem emollitioni, quae fibras elongationi aptas reddit, sufficit. Eo ipso etiam tempore, quo usus eius maximus, deest: in partu enim difficili, quo caput in ossibus pelvis impactum haeret, secerni desinit, partes exsiccantur, inflammantur, rigescunt; eo autem tempore,



re, quo praesens est, inutilis eius opera censenda.

§. 25.

Vtero grauido major accedit humorum copia, vicina sunt peluis ossa: quare non dubitandum, quin & haec copiosiori latice irrorentur. Hinc & factum est, vt auctor quidam recentior concluderet, fibras cartilaginum elongari & peluim ampliari.

§. 26.

Quodsi vero peculiari morbo (§. 21.) grauida non laboreat, atque staturae terminum adepta fuerit, major, vel saltem aequalis, fibrarum ossearum atque cartilaginearum est resistentia, quam impulsus humorum appellentium: quapropter eadem quoque cartilaginum & ossium mensura manet.

§. 27.

Finge autem ossa diducta esse, distantia tamen ossis pubis a sacro major non erit, cum & ossium pubis & ossis sacri cum ossibus ilium coniunctio sit lateralis; vt, fibris cartilaginum elongatis, non nisi distantia major, seu diame-  
ter



ter (§. 3.) longior reddatur. Et haec sane, si cum lento corporis adulti incremento compareretur, non admodum magna foret.

§. 28.

Qua de causa neque ossa pubis, neque ossa ilium a sacro in partu vnquam, nisi rarissimo in casu, (§. 21.) sejunguntur.

§. 29.

Differens vero ratio est ossis coccygis. Mobile id esse in feminis imprimis demonstrat.

α) Ipse articulationis modus, qui & cum sacro & cum propriis vertebrae sit cartilaginibus flexilibus.

β) Ipsa obseruatio in viuis & cadauere recenti instituta.

γ) Nisi mobile esset, superflui forent muscoli coccygei, quorum tamen vsus est, vt repressum coccygem restituant.

§. 30.

Quae cum ita sint, a nemine haec mobilitas in dubium vocatur, in eo autem dissentiunt auctores, num in omni partu extrorsum cedat, id quod plerique contendunt.



## §. 31.

In partu vero naturali & facili parum vel nihil moueri, docet experientia, & ratio confirmat. Axis enim peluis, cui vertex capitis infantilis respondet, medius cadit inter arcum ossium pubis atque ossis coccygis extremum. (§. 5.) Hinc foetus, intacto osse coccygis, per aperturam peluis inferiorem transit. Cum enim sine damno jam transiit per aperturam superiorem, non video, cur remoretur foetum coccyx ad inferiorem? cum distantia eius ab ossibus pubis minor non sit conjugata aperturæ superioris. Tantillum forsan cedit, ut eo aptius tum perinaeum, tum anus repressus cedat.

## §. 32.

Quotiescunque obstaculum fit, adeoque vel a natura, vel ab arte reprimitur, difficilis est partus, ob partem oblatam vel nimis magnam, vel a recta via aberrantem.



## CAP. II.

## VTERVS VIRGINEVS.

## §. 33.

**V**terus, praecipuum generationis organon, medius in pelui, inter vesicam vrinariam, atque intestinum rectum, formam exhibet lagenae complanatae. Anterius & posterius leuiter est arcuatus, superius fornicis formam accipit, lineis duabus curuis lateraliter terminatus, quae versus inferiora sensim propius ad se invicem accedunt, donec integrum corpus terminetur cono truncato, rima transuersa in medio perforato.

## §. 34.

Maxima vteri latitudo est inter tubarum fallopianarum insertiones. Fingatur ibidem vterus transuersim sectus, solidum enatum supra hanc sectionem *Vteri Fundus* vocatur. Ab hac sectione imaginaria ad sectionem alteram imaginariam, quae concipitur transuersa in loco, vbi minima vteri latitudo, interceptum solidum *Vteri Corpus* constituit. Reliquum



quum, quod infra hanc sectionem superest,  
*Cervix* audit.

§. 35.

Ea pars cervicis, quae intra vaginam pro-  
 minet, *Vteri Orificium*, siue *Os Tincae* voca-  
 tur, cuius rimam transuersam *Aperturam orifi-*  
*cii uterini externam* vocant.

§. 36.

Fundi figura accedit ad arcuatam, quam  
 mathematicorum filii vocare solent hyperboli-  
 cam: demissis ergo perpendicularibus ab hac  
 linea curua ad sectionem imaginariam primam,  
 (§. 34.) maxima deprehenditur distantia in  
 medio, inter sectionem imaginariam & verti-  
 cem vteri, minima vero in margine ad inser-  
 tionem tubarum. Hinc etiam in fundi medio  
 maxima fundi crassities, quinque nempe & vl-  
 tra linearum, ad insertionem autem tubarum  
 est minima, nec vnam alteramue lineam su-  
 perat.

§. 37.

Corporis figura est conoidea truncata, cu-  
 ius basis ad sectionem imaginariam primam,  
 apex



apex truncatus ad secundam, vbi ceruix incipit. Elliptoidea autem est haec basis & apex truncatus, hinc & omnes sectiones intermediae sunt eiusdem figurae.

§. 38.

Ceruicis figura etiam est conoidea duplex; latior nempe fit in medio, atque rursus gracilior in fine, vt ita referat duos conos truncatos basibus sibi in medio iunctos, quorum alter apex truncatus coincidit cum apice truncato corporis vteri, alter autem libere propendet in vaginam.

§. 39.

Circum crassissimam ceruicis partem adnata est vagina, ita vt conus truncatus inferior integer in vaginam propendeat, quatuor vel quinque linearum longitudine, ad instar proboscidis, vel oris catuli nuper nati. Hic ipse conus orificium vteri vocatur, cuius cognitio praecipuum artis obstetriciae momentum est.

§. 40.

Interna vteri figura externae minime respondet, miuis ampla atque rotunda, sed  
exi-



exigua atque compressa. Cavitationem fundus superius regit, ad latera corpus complectitur, & inferius ductus intra cervicem terminat. Enascitur inde cavitationis figura triangularis, cujus trianguli latus supremum & minimum constituit vteri fundus, crura vero corpus efformat. Haec vero trianguli latera nullam superficiem formant, sed solas lineas, quocirca cavitas vteri in omni ambitu fit acuta, ita ut planum anterius cum posteriori angulum formet acutissimum, seu plicaturam acutam, minime vero rotundam, seu excavatam. Eadem ratione se habet ductus in ceruice continuatus, unde rima etiam orificii transversalis oritur. Nullum hinc etiam in utero vacuum, cum vteri planum anterius & posterius se invicem incumbant. Nec dicti trianguli latera sunt rectilinea, curvilinea potius, quorum conuexitates introrsum versus vteri cavitationem protenduntur.

§. 41.

Linea, quae ab vna tubarum insertionem ad alteram ducta concipitur, est *Vteri Axis transversalis*. Quae hujus medio perpendiculariter insistit, atque sic per medium vteri transit, ea est *Vteri Axis longitudinalis*.



§. 42.

Quoniam igitur hic axis longitudinalis per medium rimae transuersalis transit, directio hujus rimae transuersalis directionem axeos longitudinalis determinat.

§. 43.

Idem est hic axis, qui peluis axis (§. 5.), quod quidem in virgine & partu naturali obseruatio nos docet.

§. 44.

Vaginae contra axis cum axi vteri & peluis minus conuenit, sed cum eodem angulum facit versus corporis anteriora. Quodsi enim distantia arcus ossium pubis ad ossis coccygis extremum quinque pollicum assumatur, distat centrum orificii vaginalis ab arcu ossium pubis  $1^{\circ}.1^1$ . à centro vero aperturae inferioris, per quod axis transit,  $1^{\circ}.5^1$ . Dicitum vero aperturae inferioris centrum penitus coincidit cum ani centro, ita vt per centrum ani pelvis axis transeat.

§. 45.

Vteri praecipuam substantiam constituunt fibrae motrices, & vasa humores vehentia, ad quae & nerui accedunt. Fibrae illae multo elate-



elaterere pollent, post mortem etiam adhuc superstitite, & vi peculiari, qua irritatae ad contractionem stimulantur. Maxime sunt compactae, eoque magis, quo longius a fundo distant, ita vt, ratione habita diversarum vteri partium, (§. 34.) laxissime cohaereant in fundo, arctius stipatae sint in corpore, stipatiores in ceruice, stipatissimae in orificio atque cartilagini fere aemulae.

§. 46.

Quare orificium vteri virgineum, tactu exploratum, compactum, firmum, fere cartilagineum, in omni ambitu laeue atque politum est. Diametri solet esse 5, aut vltra lin. longitudinis 7 - 8. lin. seu primae phalangis minimi digiti. Summum vaginae occupat, vt digito vix tangi possit. Magis vero descendit in illis, quibus menses fluunt, vel frequentiores sunt veneris ludi. Liberum intra vaginam pendet, vt per integrum ejus ambitum digitus circumferri possit. Versus os sacrum paulo magis ascendit vagina, atque altius cervici adhaeret; quare ibidem longius etiam est orificium vteri, quam versus os pubis.



§. 47.

Orificii virginei rima transuersa rectilinea est, absque ulla incisura vel cicatrice. Continuat in ductum ceruicis (§. 40.) cuius interior finis vocatur *Apertura orificii vterini interna*; quae itaque ipsam vteri cauitatem respicit, cum externa in vaginam hiet (§. 35.) In virgine plana vteri sibi imposita optime congruunt (§. 40.) hinc ductus ceruicis ejusque aperturae penitus conuiuent, nec nisi externae labia ab extremitate vnguis pauxillum semoueri possunt.

§. 48.

Solent enim duo in orificio vteri *Labia* distingui, *anterior* & *posterior*; illud os pubis respicit, hoc ossi sacro est obuersum. Sua sponte enascuntur ab extremitatibus duorum vteri planorum.



CAP. III.

VTERVS GRAVIDVS.

§. 49.

**G**enerationis theoria hujus loci non est: interim liceat obstetricanti lemmata physiologica assumere, quo vteri grauidi mutationes eo melius cognoscere queat.

§. 50.

Facta conceptione nexus ouuli & ouarii soluitur, fibrilla nutrimentum ducens abrum- pitur, ouulumque per tubas fallopianas in vte- rum vehitur. Minimum in cauo natat mini- mo, liquido quodam pleno.

§. 51.

Mox autem in omnibus contactus punctis cum vtero minima vi cohaeret. Fibrilla, pars leuissima, superiora petit, vascula sua faucia laxissimo vteri fundo applicat, firmitus cum eo nequitur, vt vulneratae partes solent.



## §. 52.

Nullam hinc ab initio vterus figurae mutationem patitur, & primo post conceptionem tempore orificium vteri virgineo simile apprehenditur. Quamuis enim sub ipsa generationis actione rima transuersa ad intromittendum semen aliquantisper aperiat; mox tamen, conceptione facta, clauditur rursus, atque in priorem statum redit: nisi forsan major mucicopia, ob copiosorem sanguinis affluxum secreta, atque rimam obducens, differentiam quandam efficiat.

## §. 53.

Ouulo cum vtero cohaerente, nouo vterus stimulo afficitur; maiorem itaque sanguinis copiam affluentem accipit, dilatantur eius vasa, aliquam liquidi copiam per vasa neclentia in ouulum mittunt, quod eandem expansionis mutationem subit; ita vt partim hominis rudimentum crescat, partim liquidi contenti copia augeatur.

## §. 54.

Non ergo mirum, quod vteri moles successiue increseat. Cum vero praecipuus nexus ouuli sit per fibrillam (§. 51.) atque in fundo

vteri



vteri vasa vterina minus a fibris motricibus premantur; (§. 45.) maximae ibidem est irritatio, & minima simul influenti sanguini obiiicitur resistentia: euenit inde, vt plurimus sanguis influat in fundum, illum maxime dilatet atque expandat. Simul etiam maxima sanguinis vis in fibrillam defertur illamque ita expandit, vt tandem peculiare corpus, quod *Placenta* dicitur, constituat.

## §. 55.

Interim tamen nullam mutationem ceruix subit, sed ouulum solum, intra vteri cauitatem triangularem haerens, eius duo plana diducit, ceruicem magis resistentem, atque longius remotam, intactam relinquit: quo fit, vt cauitas vteri interna, quae angulis acutis terminabatur, in elliptoideam mutetur, angulis acutis (§. 40.) deletis, atque in arcus conuersis.

## §. 56.

Externa proinde vteri figura internae mutationem sequitur, ex elliptoidea compressa magis arcuata, atque ad circulum accedens ellipsis enascitur.



judicium, unde §. 57.

Corpore vteri aucto vterus ipse grauior fit, adeoque ab initio ceruicem paulo magis in vaginam detrudit, quam detrusionem & ipsa corporis expansio, quaquauerfum nitens, iuuat. Tangenti hinc aliquot post conceptionem septimanis paulo longius vteri orificium offertur. Aucta vltcrius & expansione & grauitate, vltcrius in vaginam orificium descendit, ita vt tertio a conceptione mense, vna alteraue digiti phalange in vaginam demissa, attingi possit, cum ante impraegnationem integer digitus fuerit intromittendus.

§. 58.

Quo magis dein ouulum crescit, eo magis vterus expanditur, in eam amplitudinem, vt peluis capacitas ipsi continendo non amplius par sit. Tertio ergo mense elapso sensim superiora petit, atque supra superiorem peluis aperturam locatur, secumque in alta abripit orificium, vt facessive altius haereat hoc orificium, atque tandem, sub finem grauiditatis, antequam venter subsideat, vix digitus tangens illud assequatur.

§. 59.



## §. 59.

Tertio mense finito, cum iam integrum vteri corpus aliquam expansionem est perpessus, sensim & ceruici haec mutatio communicatur: maior sanguinis copia irruit, fibrae diducuntur, firma compages soluitur, mollior fit; imo, cum substantiae nihil dematur, sed potius a contenti fluidi copia augeatur, crassescit. Quapropter orificium, quod ante menssem tertium a digito tangente penitus quoad substantiam immutatum percipiebatur, postea primo crassius, dein & mollius deprehenditur.

## §. 60.

Ita ad vltiorem expansionem ceruix praeparatur, quae praecipue versus sextum menssem notari meretur, quo quidem tempore eoque diduci incipit, vt cum communi vteri cauitate eius tubus confundatur, ex qua mutatione etiam breuius fit vteri orificium, labia ad aperturam exteriorem diducuntur, figura conica vel cylindrica deletur. Vltimis tandem septimanis & versus interiorem aperturam labia dehiscunt, vt rimae loco nunc tubus appareat, cuius sectiones sunt ellipticae; tunc etiam temporis interior vteri cauitas figuram habet sphaeroideam.



## §. 61.

Hic praetermittendum non est, in plerisque orificii vterini aperturam externam prius diduci, quam medium ceruicis. Ratio huius rei videtur esse maior substantiae stipatio; compactissima enim est ad locum, vbi vagina ceruici circumnascitur, quae ipsa etiam vaginae adhaesio fibras copiosiori, eaque firmiori, cellulositate magis stringit. Quid mirum ergo, quod & influenti sanguini, & corporis expansioni magis ille ambitus resistat, quam quidem apertura externa? Nec tamen omnem exceptionem haec regula excludit, cum feminae interdum reperiantur, quibus ad partus fere tempus apertura externa clausa manet, quale quid praecipue ob situm vteri obliquum euenire solet.

## §. 62.

Ita quidem vteri capacitas augetur, nec tamen substantiae crassities minuitur, minuenda certe, si eadem substantiae quantitas maneret: quam considerantes magni nominis in obstetricia viri, crassitiem vteri grauidi multum imminui, sibi & aliis persuaserunt.

## §. 63.



## §. 63.

Mirando vero artificio in eadem ratione humorum copia augetur, qua capacitas vteri increfcit. Sunt enim curuilinea & serpentina vteri vafa, venae carent valvulis, firmiores funt pro magnitudine ac corporis reliquae, fimulque, ratione habita ad arterias, caeteris minores, arteriae proinde maiores debilioresque. Euenit hinc, vt fingulis menfibus in vtero pubere fanguis accumulatur, tandemque perrumpens effluat, quam necefario effluxionem aliqua vteri intumefcentia praecedat, longiusque paulisper fit vteri orificium, mollius atque craffius. Rimae quoque apertura, non folum externa, fed & interna aperitur, eousque in iis, quibus copiofiora menftrua fluunt, & quae fruftra fanguinis conglobati excernunt, vt minimus tangentis digitus per rimam in cavitatem vteri penetret.

## §. 64.

Simili penitus ratione in vtero grauido fanguis accumulatur, effluxum vero ouum contentum impedit: refagnat itaque fanguis, vafa curuilinea in reftitudinem magis expandit, eadem dilatat, vt, quae in vtero virgineo inuifibi-



uisibilia fuerunt, nunc digitum, inprimis in fundo, admittant. Cum vero ab hac expansione fibrae motrices elongentur, minus resistunt; quo magis ergo haec resistentia imminuitur, eo maior fit copia liquidi influentis. Ex quo sequitur, vt eadem ratione, qua expanditur uterus, influentis etiam liquidi copia augeatur, atque sic eadem semper vteri crassities maneat.

## §. 65.

Experientia, ex crebris sectionibus hausta, optime hoc assertum confirmat, quippe ex qua porro discimus, maximam vteri grauidi crassitiem, ipsius virginei crassitie maiorem, esse in fundo, minorem in corpore, minimam in loco, vbi olim cervix fuerat. Maximus etiam sanguinis influxus est in fundum, minor in corpus, minimus in ceruicem. Hinc simul ratio patet, cur ruptio vteri non fiat in fundo, sed ad aperturam peluis superiorem, vbi quondam cervix fuerat. Ipsa autem basis tenui charta ante partum non est crassior.



## §. 66.

Partus negotium hanc fundi & corporis crassitiem necessario sibi vendicat. In partu quocunque nisus, atque in praeternaturali operatio non possent non uterum rumpere, si cum capacitatis incremento crassities decresceret.

## §. 67.

*Cur vero ovulum increescens uterum expandit & cur hoc ipsum ab utero crescente non comprimitur?* Idem sanguinis influxus, eadem vi & uteri vasa distendit, & ouuli, vtraque ergo simul expanduntur versus locum minus resistentem, exteriorem nempe uteri superficiem. Nec vasa maiora, in uteri superficie exteriore decurrentia, hanc expansionem impediunt, sed in eandem directionem, a centro nempe ad peripheriam, expansa cedunt.







## §. 69.

*Placenta*, fundo ut plurimum adnata, (§.54.) corpus est rotundum, diametri dimidii pedis & ultra, crassitiei unius vel duorum pollicum in medio, arteriarum & venae umbilicalis propago, tota vasculosa, vasis copiosissima cellulosa connexis.

## §. 70.

Mediante membrana filamentosa laxius cum utero cohaeret ouum, firmior est nexus circuli membranae filamentosae crassioris, pluribus & maioribus vasis referti, firmissime nectitur placenta. Firmant adhaesionem placentae sulci inter lobos, quibus eminentiae uteri respondent. Nullam hinc in ovo separando resistantiam sentit operator, nisi ubi dictus circulus incipit.

## §. 71.

Si plures sint foetus non connati, quiuis proprio includitur ovo, propria nutritur placenta, nunc ab altera penitus remota, nunc cohaerente, quod quidem frequentius.

## §. 72.

Intra velamenta *Liquor* continetur *Lymphaticus*, pro incremento grauiditatis, ratione  
ad



ad contentum foetum habita, quantitate immi-  
 nutus. Foetum ambit, vt hic libere crescere,  
 atque a concretione partium immunis esse pos-  
 sit; tuetur eundem, ne vel a contractione vte-  
 ri, vel musculorum abdominalium & diaphrag-  
 matis actione, vel vi quadam externa laedi que-  
 at; in partu, cum velamentis, optimum est na-  
 turae instrumentum, vteri orificium dilatandi.

§. 73.

A leuissima vero causa, & semper sub par-  
 tus initium efflueret, nisi a velamentis conti-  
 neretur, nec vnquam portam foetui exituro  
 pandere posset; ex quo amplissimus velamen-  
 torum vsus sua sponte patet.

§. 74.

Ex placenta in vmbilicum foetus spirali du-  
 ctu excurrit *Funis* dictus *Vmbilicalis*, nodis  
 quandoque distinctus, muliercularum omnibus.  
 Sulcis notatur in longitudinem exporrectis, ra-  
 ro ad cylindri mensuram exactus. Duas dia-  
 metri aequalis arterias complectitur, vnicam  
 autem venam, diametri multo maioris, fere  
 dupli. Interstitia cellulosa necit firma, cellu-  
 lis gelatina, in recenti facile exprimenda, re-  
 pletis. Non autem impedit haec gelatina, quo



minus pulsus arteriarum per illam digitis percipiatur. Affert vim sanguinis vena, reuehit arteria, compresso adeo fune commercium inter matrem & foetum tollitur.

## §. 75.

Gelatina haecce inter vasa diffusa, quandoque iustam proportionem multum excedens, crassitiam funiculi vltra modum auget, vt, licet arcta fiat ligatura, postea, exsiccata substantia intermedia & contractione inde facta, sanguis, nisi summa adhibeatur cura, effluxurus sit. Vocant talem *Funiculum crassum*, vel &, termino obstetricum, pinguem.

## §. 76.

Contraria ratione dicta gelatina subinde nimis deficit, vt vasa transpareant, funis sic tenuis, rubicundus, facillime rumpatur & ligatura, nisi filo lato cautissime fiat, integrum funem scindat, praecipue si filo facta fuerit duriore. Lethales nonnunquam inde obseruantur haemorrhagiae. Vocant eiusmodi *Funiculum sanguineum*.

## §. 77.

Intrat funis placentam raro in medio aut margine, ad latus frequentissime. Hac ra-



tione facilius avellitur, cum tota parti vis impendatur, qua soluta reliquae sua sponte sequuntur. Gaudet funis longitudine insigni, ut cuius foetus motui cedat, atque hic absque eius disruptione emitti in lucem possit. Excedit tamen subinde, atque cum magno foetus periculo circa varia eiusdem membra voluitur.

§. 78.

Ipsum foetus corpusculum est maxime flexile, versus anteriora potissimum, plurimis cartilaginibus in ossa nondum versis; pedes iusto sunt minores, caput vero permagnum. Quo melius vero per pelvis capacitatem transire possit, cranii ossa nondum sunt absoluta, nec suturis cohaerent, sed membranis iuncta sunt, & in angulis in primis deficientia inter frontis & verticis ossa aperturam relinquunt, externo & interno periosteo solo clausam, *Fontanella* dictam: quo fit, ut ossa a vi externa compressa supra sese moueantur, sicque caput in minus spatium redigatur.

§. 79.

Foetus intra vterum in glomus est conuolutus, capite in pectus incuruato, femoribus  
 fursum



furfum eminentibus, abdomini incumbentibus, tibiis ad angulum acutiffimum deorfum reflexis, pedibus decuffatis, calcaneis natibus innitentibus, humeris deorfum exporrectis, thoracis lateri adiacentibus, cubitis cum manibus vel pendentibus, vt crura tangant, vel furfum vergentibus, vt frontem fufineant, aut faciem, columna vertebrarum in arcum flexa.

## §. 80.

Ita conuolutus foetus in partu naturali capite infimum locum occupat. Num vero per omne gellationis tempus ibidem haereat? de eo fub iudice lis eft. Veteres ante feptimum mensem foetum in vtero federe putarunt, capite ad fundum vteri eleuato, facie ventrem matris refpiciente, natibus vero vna cum pedibus ad orificium vteri locatis. Circa feptimum vero mensem caput verfus anteriora praecipit fieri, ita vt poft illam praecipitationem deorfum pendens facie verfus os facrum fit conuerfum.

## §. 81.

Haec vero hypothefis parum firmo nititur fundamento, nec nifi e fagro veterum feptenario



rio numero enata videtur. Namque subitaneum eiusmodi septimo mense motum grauidae non sentiunt; sed vagum & incertum, cum ipso foetu auctum, adeoque interdum, sub grauiditatis terminum, vehementem, vt vel fugillationes inde ad vmbilicum grauidae oriantur. Ante septimum etiam mensem iamiam foetus capite deorsum pendet, vt tactus sexto mense institutus docet.

§. 82.

In contrariam sententiam abeunt plerique recentiorum, foetum ab omni tempore capite deorsum pendere affirmantes, ob capitis eo nitentis grauitatem. Idem & iuniores abortus capite prodeuntes suadere ipsis videtur. Quod si vero mox a grauiditatis initio caput grauissimum deorsum penderet, non video, qui fieri queat, vt & aliae quandoque partes in partu offerri, atque sic partus praeternaturalis oriri possit; nec etiam, vnde mirae funiculi circa corpus infantis circumuolutiones, & praecipue nodi illi magici, oriantur.

§. 83.

Nec magis arridet indeterminatus foetus situs, sub finem grauiditatis demum in consuetum



tum determinatus : nulla enim adesset causa, quae eum situm efficeret, ut fere semper facies ossi sacro sit obuersa.

§. 84.

In hac argumenti incertitudine liceat assumere hypothefin, quae tot & tantis difficultatibus non est obnoxia, qua nempe asseritur: caput foetus post conceptionem superiorem locum occupare, sensim vero versus anteriora prolabi, donec tandem infimum locum occupet. Hoc confirmare videtur decrementum liquoris amnii; foetus grauitas specifica & capitis in primis semper aucta; magnum tenelli embryonis, pro ratione grauitatis, capitis volumen; axis vteri aliaque, alibi demonstranda.

§. 85.

Inde concludimus.

α.) Leuius embryonis caput, pectori innitens, post conceptionem superiora petit, versus abdomen matris propendet, facie ad illud versa.

β.) Talem situm retinet, quando impedimentum descensum remorans adest, quale praecipue liquoris lymphatici nimis parca copia esse potest.



- γ) Sensim vero grauius factum descendit.
- δ) Tandem grauissima corpusculi particula infimum locum occupat.
- ε) Potest tamen in descensu vel retardari, vel & hic ipse descensus vitari, variis de causis, praecipue vero liquoris lymphatici penuria, vteri obliquitate, nixibus praematuris & violentia externa.

## §. 86.

Ex obseruatione saltem discimus, plerumque sexto demum grauiditatis mense finito caput tactui offerri, ante id tempus rarius, post illud quandoque. Quodsi enim ante id tempus vteri conditio tactu examinatur, inferior vteri circumferentia angusta & conica deprehenditur, nec vllum pondus resistens sentitur, quocunque etiam in loco, siue anterieus ad os pubis, siue posterius ad os sacrum, tactu exploretur. Successu autem temporis, si digitus retro ossa pubis in altum feratur, resistentia occurrit, qualis a pila quadam minore, quae a digito sursum pressa altiora petit, cessante pressione in pristinum locum descendit. Est ea pila caput foetus iam infimum locum occupans. Quoniam vero integer foetus liquorem amnii grauitate specifica nondum superat, libere adhucdum in axi vteri haeret.



## §. 87.

Sensim autem & pondere & volumine (hoc tamen minori ratione) foetus caput augetur, ita vt pila de die in diem tactu major & inferior deprehendatur. Nondum tamen pressioni in altum resistit, sed libere cedit & cessante pressione descendit. Tandem eousque pondere augetur, vt grauitate specifica liquorem amnii penitus superet, adeoque infimae vteri orae incumbat, reliquumque corporis in axi vteri sustentetur.

## §. 88.

Hoc tempore abdominis tumor paulisper subfidet, ita vt sub costis spuriiis liberius spatium fiat; simul etiam ora vteri inferior tenditur, atque aperturae peluis superiori apprimitur. Tangentis itaque digito offertur ora vteri inferior tensa, pone illam resistentia per integram peluis circumferentiam aequalis, dura, rotunda, a capite facta, quandoquidem maior etiam vis ad caput hoc sursum trudendum requiritur.





## CAP. V.

## THEORIA PARTVS.

## §. 89.

**E**lasticus est vterus, adeoque vi pollet, qua sublata resistentia extendente, sua sponte contrahitur. Huic generali elasticitatis vi accedit quaedam specialis, animalibus propria, priorem augens & roborans, qua ab irritatione quadam externa ad contractionem fibrae stimulantur.

## §. 90.

Vterus itaque grauidus in perpetuo sese contrahendi nisu est, eumque nisum exerceret, nisi ab ipsa causa extendente, utpote resistentia fortiori, impediretur.

## §. 91.

Quamprimum vero vel haec resistentia minuitur, vel & irritatio accedit nisum contractionis augens & roborans, (§. 89.) ita ut resistentiam superet, vel & vtraque causa concurrat, nisus ille sese contrahendi in actum deducitur vterusque contrahitur.



## §. 92.

Haec vero vteri vis contrahendi residet in fibris eiusdem motricibus, (§. 45.) quarum directio variat: aliae in fundo vteri orbiculares seu spirales decurrunt; quibus contractis, partim vteri vertex deprimitur, partim vteri diameter, seu axis transuersalis, minuitur, adeo ut contenta in axi vteri longitudinali, hisce fibris contractis, versus vteri orificium detrudantur.

## §. 93.

Aliae in ipso corpore orbiculares decurrunt, circum vteri circumferentiam ductae: hae contractae axin transuersalem imminuunt, hinc contenta vteri aequali vi ab omni ambitu versus axin longitudinalem pellunt, atque in ea directione suspensa tenent.

## §. 94.

Aliae circulares circum vteri orificium decurrentes aperturam orificii vterini claudunt pro ratione suae contractionis.

## §. 95.

Longitudinales tandem, a fundo ad orificium decurrentes, contractae axin longi-



nalem breuiorem reddunt, sicque contenta vteri versus orificium deprimunt.

§. 96.

Sub finem grauiditatis integrum oui pondus augetur, adeoque in vteri segmentum inferius nititur, præcipue si caput praeuium, grauitate specifica liquorem amnii superans, descendit. Quare

- a.) Fibras eiusdem dilatat, a se inuicem dimouet, longiores reddit, ita vt segmentum inferius profundius in vaginam detrudatur.
- β.) Comprimit easdem fibras, earumque varia strata, sibi inuicem imposita, propius ad se inuicem pellit, ita vt humores, in vasis contenti, ex suis vasis pellantur.
- γ.) Ex hac compressione fibrae irritantur.
- δ.) Eaedem etiam fibrae ad suam contractionem lacesuntur, quando in rectitudinem eousque expansae sunt, vt absque elongatione, vel ruptura, non amplius extendi queant. Frequentior gemellorum partus praematurus, abortus periodicus &c. eam mutationem vtero contingere probabile reddunt.



## §. 97.

Euenit hinc, vt segmentum vteri inferius tenuius fiat, in vaginam detrudatur, liquor lymphaticus vna cum foetu descendat, liberumque ad vteri fundum spatium relinquat. Nulla ergo ibidem fundo opposita resistentia, hic ipse sua sponte contrahitur (§. 89.). Accedit irritatio, quae cunctas vteri fibras in motum rapit. Maxima tamen actio est illarum, quae fundum occupant, quoniam antagonistae, circa orificium locati, (§. praec.) ob elongationem & neruorum ac vasorum compressionem, debilitati sunt. Eodem tempore fibrae corporis orbiculares non minus agunt, quam longitudinales. Ita fundus orificio propior fit, eidem liquor amnii & foetus apprimuntur, hic ipse vero in axi vteri sustinetur.

## §. 98.

Hac actione ipsum orificium, hucusque in vaginam adhucdum prominens, ab actione fibrarum longitudinalium diducitur, atque planius redditur, donec tandem a repetita hac actione eius protuberantia plane evanescat.

## §. 99.



## §. 99.

Eousque vero haec actio durat, donec in tantum fracta sit vis fibrarum fundi & corporis, vt rursus aequalis fiat vi segmenti inferioris, sicque aequilibrium redeat. Quo facto aequali ratione tunc liquor amnii rursus circum foetum distribuitur atque quies redit, perturbanda denuo, cum aequilibrium, restituta fundi actione, fuerit sublatum.

## §. 100.

Variae autem hae vteri contractiones absque sensu doloris fieri nequeunt, hinc iure suo *Dolores ad partum* vocantur.

## §. 101.

Vltimo grauiditatis mense vterus, in aliis citius, in aliis serius, hancce contractionem patitur, prout nempe vel citius, vel serius, ouum in vteri segmentum inferius nititur.

## §. 102.

Cum vero ab initio minoris momenti sit segmenti inferioris dilatatio, atque orificium vteri adhucdum in vaginam protuberet, ita vt fibrae eiusdem orbiculares notabilem reliquis



quis fibris resistantiam faciant: hinc leuiores ab initio solent esse istae mutationes, parum temporis durare, & longiora esse interualla, quibus haecce vteri contractio redit.

## §. 103.

Quamprimum vero orificii in vaginam protuberantia fere deleta est, atque segmentum inferius detrusum magis & attenuatum, tunc maiori momento fundi & corporis actio actionem segmenti inferioris superat: maiori itaque vi & per longius temporis spatium vteri fundus & corpus contrahuntur, maiori vi contenta versus orificium premunt, hocque ipsum fortius diducunt, ita vt successiue magis aperiantur & contractio dicta saepius recurrat.

## §. 104.

Eadem vero fundi & corporis actione contenta versus orificium deprimuntur, adeoque liquor amnii, velamentis inclusus, foetu mobilior, ante foetus caput pellitur, imo intra ipsam orificii aperturam truditur, sicque cunei adinstar hoc orificium dilatat, atque huius dilatationis praecipuum instrumentum existit.

## §. 105.



## §. 105.

Ad hanc vteri contractionem & alia accedit causa, quae foetus detrusionem multum promouet. Nimirum sensatio molesta, a contractione vteri orta, in consensum trahit diaphragma & musculos abdominales, ita vt hi muscoli magna vi contrahantur: quam contractionem minus voluntariam, actione voluntaria & spiritus retentione, parturiens multo fortiozem reddere potest.

## §. 106.

Vt autem actio, ex diaphragmatis & musculorum abdominalium actione composita, maxima vi in vterum impendatur, vterus in axi peluis locatus est, qui quidem axis fere cum illarum actionum diagonali conuenit.

## §. 107.

Hisce continuis actionibus repetitis tandem vteri orificium penitus aperitur, ita vt cum vagina vnicum canalem perpetuum vteri cavitatis efficiat. Quare quaedam solum restant contractiones pro dilatanda vagina & externo sinu, foetuque cum secundis penitus expellendo.

## §. 108.



## §. 108.

Hac ratione partus absoluitur maxime sanus, seu, vt vocatur, naturalis. Requirit autem hic, vt

- α) Peluis sit probe constituta, & vtraque eius apertura liberum foetui transitum concedat. (cf. Cap. 1.)
- β) Foetus caput ad peluim sit proportionatum.
- γ) Foetus & vterus in axi peluis sint siti.
- δ) Nullam vterus, vagina & sinus externus praeternaturalem constitutionem habeant.

## §. 109.

Cur nono mense solari absoluto hic partus fiat, explicare nemini est datum. Creaturarum determinatae in ortu periodi, ex causis cognoscendae, nos latent, quoniam rationem resistentiarum ad vires impellentes numeris exprimere non licet.





## CAP. VI.

## VIRGINITAS.

§. IIO.

**F**emina considerari potest.

- 1° In statu virginitatis integerrimo: quae nempe nec partum edidit, nec abortum est passa, nec cum viro commercium habuit, nec violentiam accepit.
- 2° Tanquam persona, quae quidem non peperit, nec abortum est passa, nec cum viro commercium habuit, sed tamen, vel ex infortunio, vel ex libidine, violentiam accepit.
- 3° Quae nec partum edidit, nec abortum est passa, sed cum viro commercium habuit.
- 4° Quae partum perfectum nondum edidit, sed abortum est passa.
- 5° Quae reipsa infantis nati mater est.

§. III.

Quinam autem in femina examinanda status praesens sit, declarat & orificii vterini & sinus externi habitus: ita tamen, ut quaeuis  
regula



regula exceptionem admittat rariorem & ex  
circumstantiis diiudicandam.

§. 112.

Virginis integerrimae cunctae partes exter-  
nae sunt firmae, optime sese sustinentes, mini-  
me flaccidae. Sinus orae optime conuiuent,  
atque cum duritie tument. Similis nympharum  
est constitutio, quae & ipsae minores esse  
obseruantur. Minus etiam clitoridis praepu-  
tium esse solet, glandem non obtegens. Cun-  
ctae partes nitent, splendent, dilute rubent.  
Hymenis vero praesentia & integritas praeci-  
puum virginitatis claustrum & signum haben-  
dum. Orificium etiam vrethrae penitus est  
clausum. Columnae rugarum vaginalium quam  
maxime tument, ita vt superior inferiorem con-  
tingat: tumet & vestibulum atque sinus muciferos  
profundos offert.

§. 113.

Inde fit, vt primum commercium cruen-  
tum sit atque dolorosum, nisi forsan maior fi-  
brarum laxitas vaginam atque hymen immune  
doloris atque violentae disruptionis reddat.  
Neque etiam cruor ille dolorosus virginem



semper illibatam demonstrat, praesertim cum  
is vel fingi, vel arte effici possit.

§. 114.

Eiusmodi tamen hymene munita puella potest  
in vterum recepisse, vti grauidarum docent  
exempla, integerrimo hymene oclusarum,  
quas vero orificii vterini status detegit.

§. 115.

Secunda & tertia species (§. 110.) ab in-  
vicem distingui accurate nequeunt. Orificium  
enim vteri iis est virgineum (§. 46.) vixque  
aliud adest indicium, nisi quod in illis, quae  
frequentius viri consuetudine vsae sunt, descen-  
dat: quamlibet libidinis indubium signum haberi  
nequit, quod & in integerrima virgine vagina  
breuior esse, vel & vitiose descendere vterus  
potest, vti id obseruare licet in morbis cache-  
cticis, laxitatem fibrarum inducentibus; hydro-  
pe, pondere suo vterum deprimente; vaginae  
prolapsu, orificium vteri secum trahente; vteri  
prolapsu, &c. Hae vero causae morbosae dili-  
genter inquirentem non facile latere queunt.

§. 116.

Partes vero externae in his (§. pr.) flacce-  
scunt, minus coniucentes orae hiant, grande-  
scit



scit clitoris, eiusque praeputium in primis, eousque, vt integrum glandem tegat. Nymphae sunt colore obscuriori, cunctaeque reliquae partes, quae in virgine integerrima colore sunt roseo, eandem coloris mutationem patiuntur. Orificium vrethrae fit amplius & apertum. Hymen colore est obscuriori, flaccidum, minus, hinc inde abrasum, imo penitus deficiens, pro gradu causae destruentis. Ad introitum vaginae carunculae myrtiformes locantur; ipsa vagina est aperta, amplior, columnis flaccidioribus distincta.

## §. 117.

Praeter vero libidinem aliae etiam sunt causa, quae hymen afficere possunt, atque virginitatis signa physica ita destruere, vt moralis nihilominus virgo maneat, quales, exempli gratia, esse possunt.

- 1<sup>o</sup>) Equitatio frequentior, ad modum praesertim virorum instituta.
- 2<sup>o</sup>) Infortunium.
- 3<sup>o</sup>) Prolapsus vteri completus, nec non prolapsus vaginae maior, praecipue columnae superioris. Hi enim prolapsus & hymen vitiant & genitalium habitum mutant. Colo-



rem etiam splendentem mutant in lividior-  
rem atque vaginam relaxant.

4<sup>o</sup>) Morbi cachectici, praecipue fluor albus, &  
vteri haemorrhagiae: qui vero morbi hy-  
men, quamvis flaccidius, integrum relin-  
quunt.

5<sup>o</sup>) Pus acrius hymen erodere potest.

Hae tamen morbosae causae plerumque sunt  
cognitae.

§. 118.

Quarta species fere nequit agnosci atque  
a priori distingui, si abortus fuerit embryonis  
vel molae minoris. Si quando vero maior fue-  
rit embryo vel mola, iam propius ad sequen-  
tem speciem accedit, saltem si femina post sex-  
tum mensem abortum fuerit passa. Ante hoc  
tempus orificium vteri, secus ac in partu, non  
fit brevius & complanatum, sive detersum, sed  
potius aliquanto longius, mollius, magisque  
tumet, atque eousque solum aperitur, ut tran-  
situs molae vel embryoni concedatur; qua-  
propter & cicatrices, absoluto abortu, vel  
nullae, vel saltem minores atque minus conspi-  
cuae, in rima transversa reperiuntur. Fraenu-  
lum nondum est disruptum, sed hymen de-  
letum.



## §. 119.

Quod autem ad feminam, quae partum iam enixa est, attinet, praeter dicta defloratae virginitatis, tria sunt insuper signa alia, quae puerperam produunt.

1<sup>o</sup>) Fraenulum disruptum.

Haec quidem disruptio, dirisimo cum cruciatu, sub partus momento contingit.

2<sup>o</sup>) Cicatrices rimae transuersae.

Partu quidem absoluto pristinam figuram vterus fere recipit, in orificio vero aliqua diuersitas apparet. Conicum enim illud in virgine est; in ea vero, quae partum edidit, formam cylindri induit & magis fit crassum. Rima praeterea transuersa fit inaequalis, quasi in labia eiusdem hinc inde incisiones factae, atque cicatrices enatae fuerint. Quae quidem cicatrices, praecipue copiosae, maxime sectionem crucialem prae se ferentes, signum indubitatum praebent partus iam editi.

3<sup>o</sup>) Abdominis rugae.

Post partum quidem abdomen expansum rursus contrahitur, nihilominus paulisper expansum remanet, atque variis in locis lineolis albicantibus, quasi leuibus cicatriculis, distinguitur, loca, vbi olim rugae fuerant,



designantibus. Caeterum in aliquibus, praecipue in iis, quae aliquoties iam pepererunt, ipsae rugae remanere consueverunt. In aliis, quarum cutis magno elatere pollet, abdomen immutatum a virgineo, post primum partum, apparet.

## §. 120.

Signa, quae pro conditione matris determinanda, a mammis desumuntur, dubia sunt & fallacia, e. g. color areolae fuscus, & ipsa areola maior, deflorationem non statim indicant, cum & in integerrimis, quarum cutis fusca est, conspici, siquidem in iis, quarum cutis candidior, roseus esse solet. Nec mammae pendulae & flaccidae partum factum indicant: ex diuersis enim aliis causis, praecipue ex aetate, tales esse possunt, in virgine quoque integerrima. Nec audiri merentur signa, quae ab vrinis deducuntur.





## CAP. VII.

## GRAVIDITAS.

## §. 121.

**N**imis longum foret, si omnia, quae ab aliis afferuntur, grauiditatis signa recensere vellem. Plurima eorum sunt dubia, variis morbis communia, conceptionem necessario non insequentia. Multa penitus sunt falsa, veterum erroneis hypothefibus superstructa. Verissima etiam confusionis caligine ita obducta sunt, vt certi nihil doceant. Interim aliqua eorum narratione mea delibabo.

## §. 122.

Quodsi itaque de feminae grauiditate inquiritur, protinus ad foecunditatem eius respiciendum est; cuius defectus variae quidem esse possunt causae: harum vero plurimae sunt occultae, quaedam cognitae; hae vero, si in quadam femina perspiciuntur, efficiunt, vt femina, grauiditatis crimine rea, facile absolui possit, alii vero spes prolis desideratae adimatur.

## §. 123.

Causa communissima, quae rem facit dubiam, est aetas, vel nimis tenera, vel nimis profecta.



## §. 124.

Quo tempore puella ad prolem concipiendam apta fiat, propter regionis, temperamenti, similiumque circumstantiarum varietatem, determinari nequit: raro autem ea fit ante praegnans, quam menstrua fluere incipiunt, atque pubes efflorescere. Interim tamen nonnunquam accidit, ut a retardato nimis hoc fluxu plurimis miserae grauiditatis communibus symptomatibus laborent; qualia durus abdominis & mammarum tumor, languor, appetitus deficiens vel vitiatus & similia; quae vero, cognita sterilitatis causa, minime grauiditatem probant.

## §. 125.

Simili ratione post cessantem fluxum menstruum rarissime feminae impraegnantur, si quidem vnquam. Ipsa autem illa cessatio frequentissime secum ducit foecundi conceptus symptomata (§. pr.), atque bonas vetulas, prolis desiderio ardentibus, vana spe deludit.

## §. 126.

Nec illae, a quibus per integram vitam debitum menstruum non soluitur, concipere solent. Contraria exempla, quale fere DEVENTER affert, sunt inter rarissima: nisi forsitan il-



las huc referas, quae, ob nunquam intermissam seriem grauiditatis & puerperii, hanc excretionem impediunt.

## §. 127.

Quibus menstrua sunt nimis copiosa, haemorrhagiae vteri aemula, vel & quibus stas periodicis conceptio cum menstruis effluit, pari modo steriles sunt censendae. Quo & referendae, quae fluore albo largiori laborant, praecipue vterino, maxime a partu difficili orto.

## §. 128.

Imperforatae etiam concipere nequeunt, siue vagina exterius hymene integra sit occlusa, siue in medio sui post partum difficilem penitus connata, siue denique orificii vterini, a partu difficili vulnerati, rima transuersa concreuerit, vel & a prima conformatione membrana praeternaturali sit obiecta.

## §. 129.

Plures, easque incertas & latentes causas, huc non facientes, quarum numerus non paruus est, de industria omitto. Concludimus, primam grauiditatis cognitionem probabilem reddere foecunditatem.



§. 130.

Mulierem vero concepisse, antequam genuina grauiditatis criteria apparent, difficillimum est cognitu, nec nisi probabiliter sciri potest.

Ium) Eiusmodi signum probabile habetur peculiaris quidam sensus vtriusque sexus, ad extasim accedens, quae in femina maior esse solet, atque a genitalium turgescencia oritur, qua vterus riget cum partibus annexis. In viro vero gratior perceptio vim feminis prolifici maiorem innuit. Fallere tamen hoc signum potest ob

α) coniugum ignorantiam, &

β) plurium feminarum sensationis hebetudinem.

§. 131.

Idum. Simultanea feminum excretio, a vulgo celebrata, falsa veterum de feminum commistione hypothese nititur, cum ipsa hac hypothese ruens.

Illum. Seminis intra vterum retentio eodem fundamento superstructa est, atque quandoque talis a vaginae rugis, fermen remorantibus,



bus, fingitur. Quo & siccitas viri est referenda.

§. 132.

Vtum. Dolor quidam, quasi leuioris colicæ, circa vmbilicum; nec non motus & calor vagus in infimo ventre, a nouo sine dubio stimulo & sanguinis copiosiori affluxu ortus, aequè ac signum primum (§. 129.) fallere potest. Idem iudicium esto de languore solito maiori, amplexum insequente, horrore & leuiori frigore per vniuersum corpus perfuso. A spasmo vniuersali, ex noua irritatione & sanguinis influxu inducto, oriri videtur.

§. 133.

Vtum. Orificiùm vteri clausum conceptionem factam denotare nequit. (§. 52.)

§. 134.

Conceptione facta quadruplicia symptomata nascuntur, grauiditatem denotantia, nempe manifestatur

- α) Nouus stimulus,
- β) Suppressio mensium,
- γ) Vteri incrementum,
- δ) Ipse foetus.

§. 135.



§. 135.

Interim tamen feminae reperiuntur, quae a nouo stimulo minime afficiuntur, nec prius corporis mutationem sentiunt, quam menstrua cessant. Aliae vero, statim primis a conceptione diebus, adeo a noua ista mutatione, vt misere aegrotent, patiuntur. Quamlibet & aliae causae adesse queunt, quae eosdem morbos producere valent: vtque adeo ex his morborum affectionibus desumpta signa non nisi probabilia sint, (cf. §. 124.) atque in illis solum certitudinem pariant, quae ex crebro repetita obseruatione id didicerunt; quam quidem nonnullae ita callent, vt ex quibusuis, leuioribus quandoque, mutationibus certa conceptionis factae signa petere norint.

§. 136.

Signa communia solent esse nausea, vomitus, appetitus minus regularis, tristitia, iracundia, ad labores pigritia, vires prostratae, melancholia, viri fastidium, oculi retracti, languentes, liuidi, turbidi, palpebrae molles, vix a musculis sustentatae, circulus circa easdem liuidus & flauescens, dentium dolor, copiosa saliuae excretio. &c.

§. 137.



## §. 137.

Post menstruorum cessationem, plethora oborta, accedere solent cephalalgia, rubor & inflatio faciei, ardores transitorii, ephelides seu maculae faciei, pustulae itidem in facie & collo, imo nasus quasi flauo vernice obductus; non aliam certe ob rationem, nisi quod sanguis versus caput congeritur.

## §. 138.

Quae vero non grauidae hystericae solent esse atque valetudine infirma laborare, conceptione facta, saepissime melius se habent.

## §. 139.

Praecipuum factae conceptionis & incipientis grauiditatis signum est menstruorum cessatio. Notandum vero est.

a) quod primis grauiditatis mensibus menstrua cum euphoria fluere possint, atque sic menstruata grauida esse queat. Iste quidem sanguis ex vteri ceruice prouenit. Rationem etiam reddit partuum maturorum inter praematuos relatorum.



- β) Quandoquidem menstrua fluxio etiam aliis ex causis cessare potest, ideo non menstrua non semper grauida est censenda.
- γ) Circumstantiae quaedam morales hic sunt obseruandae, ex quibus quandoque colligere possumus, vtrum menstrua ob conceptionem, an vero aliam ob causam cessent.
- δ) Maior autem gestationis fit suspicio, si menstrua cessant absque subsequente & suppressionem soluente morbo quodam grauiori, (cf. HIPPOCRATIS Aph. 61. L. V.) & absque causa quadam apparente.

## §. 140.

Menstruorum suppressionem mammaram intumescencia insequitur, quocirca mammae crescunt, replentur, dolent interdum, indurescunt: venae earum coeruleo colore conspicuae redduntur, crassescit papilla, inflata videtur, color eiusdem fit obscurior; similem colorem induit discus ambiens, qui in latitudinem maiorem expanditur, paruisque eminentiis, quasi totidem papillulis, tegitur. Lympha lactea ad mammae pressionem profluit.



## §. 141.

Lympha haec grauidarum lacteis striis, quasi rotidem vermiculis, distincta est, secus ac illa esse solet, quae ex mammis puellarum, mensium obstructione vitiose laborantium exprimitur. Prima tamen profluens, in primiparis praecipue, istis striis destitui solet. Praeterea vna cum reliquis mammarum mutatarum symptomatibus non ante quartum mensem adesse solet: nonnunquam etiam ferius in aliis apparet.

## §. 142.

Etsi autem certissima sunt signa, quae ab incremento vteri & orificii vterini mutatione desumuntur; debitae tamen cautelae hic quoque nunquam negligendae sunt. Mox post conceptionem vterus magis intra peluim ita absconditur, vt abdomen complanetur. Quapropter & os eius vaginae orificio propius deprehenditur (§. 57.) Fallere autem hoc signum potest.

- a) Nisi orificii altitudo ante grauiditatem cognita fuerit.
- β) Variis aliis ex causis orificium in vaginam descendere potest. (§. 115.)



## §. 143.

Post tertium vero mensem uterus extra peluim eminet, crescit, abdomen expandit. Quoniam tamen expansio a morbis abdominalibus orta facillime etiam cum utero grauido confundi potest, accuratius examen instituentum est, ut uterus hic tumens a reliquis abdominis tumoribus distinguatur. Differentia illa ex solo aspectu non apparet, sed tactu determinanda est. Quamobrem, ut omnis incertitudo remoueatur, curandum est, ut femina ieiuna urinam & aluum deponat, supina cubet, lumbis depressis, capite pedibusque eleuatis, calcibus ad nates retractis, ita ut abdominis regio laxetur. Tunc medicus abdomini palmam imponat transuersam, auricularem digitum versus os pubis tendat, pollicem exaduersum ad umbilicum. Valida respiratione femina abdomen concutiat, atque medicus sub ipso exspirationis nisu abdomen leniter imprimat. Quod si eo momento duram, atque supra os pubis haerentem, resistantiam tangit, de utero tumido certus esse potest. Sicubi vero alius tumor abdomen eleuat, alio loco is deprehenditur, vel & totam abdominis regionem aequalis atque perpetuus quidam tumor occupat.



## §. 144.

Hydropem speciatim a grauiditate sequentia adhuc distinguunt.

- 1<sup>o</sup>) Nisi aqua hydropica in peculiari sacco contineatur, aequalis tumor totam abdominis regionem extendit, qui mollis etiam est, digito impressus foveam relinquit, atque in id latus, cui aegra incumbit, subsidet. Nihil huiusmodi fit, si abdomen ab vtero grauido expanditur.
- 2<sup>o</sup>) Mammae hydropicis decrescunt, flaccidae fiunt, lymphamque lacteis striis distinctam non fundunt. Contrarium in praegnantibus obseruatur.
- 3<sup>o</sup>) Vt plurimum in hydrope pedes primi tument, dein femora, tandem abdomen. Grauidis vero primum abdomen tumet, pedes vltimis demum mensibus. Si forsan aqua hydropica a peculiari sacco vel peritonaeo comprehendatur, pedum quidem tumor abesse potest, sed tumorem hydropicum exploratio (§. pr.) descripta indicat.
- 4<sup>o</sup>) Symptomata morbosa in hydrope quotidie augentur, in gestatione vero vel minuuntur, vel penitus cessant.



5°) Vrina hydropicae rubella est, grauidae vero citrina.

6°) Sitis hydropicam vexat vehementior, grauidam non item.

Quando vero hydrops cum grauiditate coniungitur, difficillime, nisi orificium vteri exploretur, grauiditas dignoscitur.

§. 145.

Vteri expansio sui orificii mutationes quidem procreat supra (§. 58. sqq.) enarratas, quae tamen ante quintum mensem nondum certa grauiditatis signa praebent.

§. 146.

Foetus ipse motu suo suam & existentiam & vitam optime docet. Cum vero is primis mensibus multo amnii liquore comprehendatur, eiusdem cum hoc liquore grauitatis specificae, atque mollibus membris instructus sit, nullum, quamuis motus, in matre sensum excitat, adeoque non percipitur. Sensim vero, a parciore liquore comprehensus, grauior atque robustior, membris suis ad habitaculi parietes allidens, matri molestiam creat, quin imo vehementiori tandem dolore fit inimicus.



§. 147.

Incertum est tempus, quo prima vice motus embryonis a matre sentitur; solet circiter medium graviditatis terminum is fieri, quem & sibi tunc temporis grauidae constituunt. Plerumque tamen hebdomade iam decima octava foetus mouetur, ita vt viginti duae ad vltimum vsque gestationis terminum hebdomades supersint. Rarius embryonis motus vigesima hebdomade demum percipitur, rarius etiam decima iam sexta, decima quarta rarissime.

§. 148.

Ex dictis sequentia corollaria eliciuntur.

Ium. Ante tertium mensem certum graviditatis signum non facile datur. Probabilia tantum criteria sunt: orificii vterini descensus, ventris complanatio, menstruorum suppressio, symptomata a suppressione hac, vel & a nouo stimulo, inducta. (cf. §. 142. 139. 136. 137.)

§. 149.

Idem. A tertio ad quintum mensem exploratio abdominalis (§. 143) recte instituitur. Ad quam si accedit suppressio menstruorum con-



tinua, successiua symptomatum morbosorum  
 remissio, mammarum intumescencia, (§. 140.)  
 lymp̄ha lacteis striis distincta, (§. 141.) orifi-  
 cium vteri crassius, mollius, spongiosum,  
 (§. 59. sqq.) motus embryonis (§. 146. sq.)  
 &c. de grauiditate admodum certi esse  
 possumus.

§. 150.

Successiua symptomatum morbosorum  
 (§. 136. & 137.) remissio, cum menstruorum  
 suppressione continua, (§. pr.) vehementem  
 gestationis suspicionem suppeditat. Siquidem  
 grauida sensim nouo stimulo assuescit, atque  
 excedens sanguinis copia a crescente embryone  
 consumitur. Sicubi vero menstrua absque foe-  
 tu cessant, malum quotidie augetur, atque  
 tantum abest, vt incommoda inde pendentia  
 successiue remittant, vt potius quotidie incre-  
 scant, nisi suppressio vel sua sponte, vel me-  
 dicamentorum vi, vel & a morbo (§. 139. n<sup>o</sup> d)  
 soluatur.

§. 151.

Illud. Post quintum mensem status orificii vte-  
 rini



rini omnium minime fallit: (§. 60. sq.) praecedentia (§. 149.) recensita signa si continuantur & augmentur, nullum plane grauiditatis dubium est reliquum.

§. 152.

Medicus de grauiditate ita certus ipsum grauiditatis terminum ex abdominis tumore cognoscit. Etenim sexto mense inter os pubis & umbilicum vterus ascendit; septimo ad umbilicum; octauo ad medium inter umbilicum & scrobiculum cordis; nono vsque ad hunc scrobiculum abdominis integumenta expanduntur. Quotiescunque vero venter propendet, haec proportio non valet, sed tunc ex propendente ventre & eius altitudine iudicium formandum est.

§. 153.

Sexti mensis terminum non solum orificii vterini apertura externa diducta determinat, (§. 60.) sed & hanc diductionem insequens capitis pila (§. 86.). Per integrum fere vltimum mensem vteri ora inferior tenditur, aperturae peluis superiori apprimitur, caput pone istam



oram haerens pressioni in altum resistit  
(§. 87. 88.).

§. 154.

Medici iudicium de grauiditate petitur.

- 1<sup>o</sup>) A nuptis, quae prolis desiderio flagrant,  
& ad leuissimum quodque grauiditatis signum  
iubilant.
- 2<sup>o</sup>) Speciatim ab illis, quibus propter aetatem  
menstrua cessant, & quae nihilominus pro-  
lem desiderant, vel iuniores videri volunt,  
quam reuera sunt.
- 3<sup>o</sup>) A nuptis morbo abdominali, v. g. hydro-  
pe, laborantibus. Quod idcirco hic mo-  
nendum, vt medicus in praescriptione me-  
dicamentorum caute agere discat. Eadem,  
quin etiam maior, cautela obseruanda est,  
si simili se morbo puellae inuuptae affligi  
sunt.
- 4<sup>o</sup>) A iudice, qui interdum feminam capite  
plectendam, ob praetextum grauiditatis,  
supplicio afficere non potest.



5°) A iudice, ne decipiatur a femina, rixarum amante, accusanteque alterum de plagis ab ipso acceptis tam atrocibus, ut foetus sibi mortuus sit, vel abortum facere cogatur; quae etiam, menstruata forsitan, fingit, se haemorrhagiam atque eiusmodi mala alia esse perpeffam.

6°) A parentibus vel tutoribus, qui de filiae pudicitia certi esse cupiunt.

§. 155.

Nullius momenti, imo ridicula plane, sunt signa, quae de cognoscendo sexu latentis embryonis a multis, HIPPOCRATEM sequentibus, proferuntur, quae nullus emunctae naris medicus hodie vera esse iudicat.





## CAP. VIII.

## P A R T V S.

§. 156

**C**ognita ex superioribus partus theoria, symptomata antecedentia & concomitantia facili opera cognoscuntur, atque ex iis optima partus & appropinquantis & instantis signa petuntur. Ultimo mense partum breui appropinquantem sequentia produunt.

§. 157.

Ium. Signum praebet *Mucus albus, e genitalibus stillans, copiosus, crassus, viscosus.*

Cuilibet quidem feminae sanae genitalia semper madent, ob humores ex arteriis exhalantibus, lacunisque muciferis in vteri ceruice, circa orificium vteri, in vagina, circa vrethram & in vrethra copiosis, excretos: in grauidis vero maior est humorum affluxus, hinc & copiosior secretio & excretio; quo fit, vt grauidae genitalia magis madeant. Praecipue vero circa septimum mensem copiosissimus mucus secernitur, ita vt in quibusdam in terram depluat atque fluorem album mentiatur: tunc  
tempo-



temporis enim cervix vteri dilatatur, & sinus muciferi liberiores maiorem liquidi copiam fundunt. Nono tandem mense mucus feceritur copiosior, crassior & viscidior: siquidem, ceruice arctius compressa, reditus sanguinis per venas impeditur, feri copia per colatoria effluit, in vagina stagnat, crassescit: accedit capitis apprimentis stimulus, continuum liquorum affluxum excitans, qui tempore dolorum auctus & copiosiora tunc liquida sistit.

## §. 158.

Idem. *Dolores praesagientes.*

Solent Dolores ad partum (§. 100.) triplices distingui.

1<sup>o</sup>) *Praesagientes.*

2<sup>o</sup>) *Veri.*

3<sup>o</sup>) *Spurii.*

## §. 159.

*Praesagientes* a veris fere non nisi gradu differunt: ingratum tensionis sensum constituunt, qui in regione lumborum oritur, & versus pubem & os sacrum progreditur, stimulumque ad lotii & alui depositionem excitat. Leniores sunt hi Dolores, parumper durant, cito transiunt, atque praecipue interdiu & versus ve-



speram accedere solent, grauidamque negotiis suis fungi non impediunt, sed, vbicunque illa sit, transitum Doloris sibi promittere, atque negotiorum peragendorum liberam rursus curam potest. Illae etiam, quae partum iam ediderunt, illos negligunt verosque expectant. Primiparae vero, vagam de Doloribus ideam habentes, hisce ingruentibus instare iam partum putant.

§. 160.

Licet vero eiusmodi Dolores non sint veri, tamen sunt perquam molesti, ita vt praegnans, eiusmodi Dolore correpta, nec situm, nec locum, vbi est, ante mutare queat, quam Dolor transiit. Praesentibus his Doloribus facies rubore suffunditur, dentes strident compressi. In primis regionem hypogastricam hi Dolores ita afficiunt, vt deambulatio molesta & dolorosa reddatur. Imo miras quandoque anxietates praegnanti creant, vt nunc huc, nunc illuc currat, inquieta sit, atque de praecordiis arctis & constrictis conqueratur.

§. 161.

Oriuntur a primis fundi vterini contractionibus, (§. 97.) quando caput vteri os premit  
atque



atque inferius segmentum in peluim detrudit: quare etiam circa lumbos molestantem sensationem excitant, quodque depressione vteri intestinum rectum & vesicam comprimunt, ad lotium & aluum deponendam stimulant.

## §. 162.

Vsus eorum est, vt sensim ceruicem vteri magis dilatent & orificium vteri diducant, sicque vterum ad emittendum foetum aptiorem reddant.

## §. 163.

Distingui autem a veris Laboribus eiusmodi Dolores possunt,

- a) per breuiorem eorundem moram & vim minorem,
- β) per orificii vterini statum. Quamuis enim sub istis doloribus caput foetus, vel amnii liquor, velamentis inclusus, versus vteri orificium prematur, nihilominus, cum pendulum adhucdum sit hoc orificium atque laxum, partum quidem praefagiunt, nec tamen prius veri ad partum Labores sunt censendi, quam detersum sit hoc orificium, atque segmentum inferius tendatur solum.

## §. 164.



## §. 164.

Accedentibus autem his Doloribus grauida tranquilla debet manere, nec respiratione valide cohibita nixum eorum iuuare. Quoniam enim orificium vteri nondum est deterfum, partus insequi nequit; neque etiam pressio haec artificialis deterfionem iuuat, a superante fundi actione demum efficiendam. Eiusmodi nixus grauidae vires frangunt, quae veris Laboribus sunt seruandae. Ab eo tamen tempore, quo Doloribus his grauida corripitur, dare debet operam, vt omnia ad partum necessaria sint in promptu, & vt obstetrix arcessatur, quae subinde statum parturientis exploret. Incerto enim tempore accedunt hi Dolores, incerto etiam tempore in veros Labores mutantur, quibus praesentibus, & cunctis rite se habentibus, partus nonnunquam negotium opinione citius succedit.

## §. 165.

IIIum. *Orificium Vteri.*

Quo propius terminus grauiditatis accedit, eo mollius fit vteri orificium, eoque magis vtplurimum aperitur. Ab initio quidem apertura eiusdem externa diducitur, quam & interna



terna dein sequitur, ita vt tandem labia os paulisper apertum referant. Quo magis etiam partus appropinquat, eo magis orificium dertergitur, & segmentum inferius attenuatur. Deterfio certius signum praebet diductione. Aliis enim, primiparis praecipue, & quibus maiori in gradu vterus oblique situs est, non nisi mox ante partum instantem apertura interna diducitur, aliis vna hebdomade ante partum, aliis bina, quibusdam mense integro.

§. 166.

*Vitum. Vrinae suppressio vel incontinentia.*

Vterus subsidens, quia vesicam vrinariam premit, mox in fundo, inde incontinentia oritur, mox in collo, inde suppressio. Quocirca grauidae, somno grauiori sepultae, spontaneum vrinae effluxum patiuntur, leuiori vero somno requiescentes continue ad matulam properant.

§. 167.

*Vitum. Tumor ventris subsidens.*

Cum antea tumor vmbilicum maxime occupasset, ita vt aditus omnis infra costas spurias fuerit praeclusus, vltimo grauiditatis tempore descendit, costasque liberas relinquit.

Grauida



uida contra difficilius sedet & ingreditur, atque, nisi cespitare velit, dorsum multum retrahere cogitur.

## §. 168.

Haecce, quae memoravi, partum aliquot iam septimanis antecedere possunt. Mox vero ante ipsum partum sequentia accedunt signa.

## §. 169.

*lum. Dolores veri siue Labores ad partum. (§. 158.)*

Quando a praesagientibus usque eo cervix vteri dilatata atque orificium detersum est, ut actio fundi maiori momento superet resistantiam cervicis, atque sic actio eius sit vehementior & frequentior, vterus dolorifice contrahitur, hosque Labores excitat. Similes vero praesagientibus, nec nisi gradu differentes, simili etiam ratione in regione lumborum incipiunt, oblique versus pubem & os sacrum descendunt, atque tenesimum excitant, stimulumque pro aluo deponenda & lotio emittendo. Primi breviori temporis spatio vrgent, atque longiora intervalla relinquunt sequentibus, qui & vehementia & frequentia augentur. Pluribus, ac praesagientes solebant, cruciatus affligunt, diutiusque durant. Maiori enim

momen-



momento vterus & contrahitur, & segmentum inferius comprimitur. Manus sub tempore doloris abdomini imposita contractionem illam, duritie manifestam, optime distinguit.

## §. 170.

IIIdum. *Orificium vteri apertum magis & detersum.*

Laborum effectus est, vt, labiis orificii vterini penitus deterfis, apertura eiusdem amplior fiat atque elliptica. Vteri etiam segmentum inferius ob eandem causam eousque tandem attenuatur, vt chartae crassitiem non excedat.

## §. 171.

IIIIdum. *Aquae formatae.*

Ita vocant liquorem amnii a doloribus ita pressum, vt velamenta vesicae tumidae adinstar protrudat. Sub quouis quippe dolore liquor amnii a fundo vteri magna vi versus orificium ante foetus caput pellitur, atque velamenta intra aperturam orificii trudit, quae hac ratione cuneum formant, quo orificium & diducitur & deprimitur. Ita quidem velamenta vesicae liquore repletae speciem prae se ferunt; quae



quae vesica a vehementi vi pressa fortius renititur, atque digito tangenti aditum ad caput vsque praecludit. Quamprimum autem fundi actio remittit, segmenti minoris efficax contractio redit, liquor amnii refunditur, atque trans aperturam caput tangitur, non nisi velamentis, quae ob sui tenuitatem distingui nequeunt, tectum: apertura elliptica rursus contrahitur atque ascendit, minore tamen gradu, quam fuerat ante dolorem, quiesque tandem redit.

§. 172.

Dum haec in vtero geruntur,

IV<sup>o</sup>. Pulsus arteriarum frequens est, plenus & eleuatus.

V<sup>o</sup>. Facies rubet. Etenim

VI<sup>o</sup>. Sub quouis dolore inuita etiam parturiens spiritum retinet, atque efficaci muscutorum abdominalium & diaphragmatis contractione fundi vterini actionem iuuat.

VII<sup>o</sup>. Quapropter abdominis visceribus compressis vomitus accedit, mox insequentis partus signum, parturienti proficuum, nisi continua serie vrgeat, nimia & mox assumta

reii-



reiciat, vires debilitet, atque eousque progrediatur, vt ipsa bilis, sanguisque niger & foetens euomantur, vtpote mortis praesagia tristia.

## §. 173.

Dicta dolorum & quietis alternatio tamdiu continuat, donec orificii vterini apertura peluis aperturam superiorem aequet &, nullo amplius orificii margine superstite, ex vteri fundo in vaginam perpetuus canalis protendatur. Nullum tunc, nisi vaginae, foetui exituro impedimentum resistit: quare liquor lymphaticus, non amplius repulsus, in dolorum etiam interuallo ante caput haeret. Dolores vero & vehementia & frequentia continue crescunt, liquorem lymphaticum cum capite vterius propellunt, vaginae latera diducunt. Tandem, vagina penitus dilatata, bulla aquea extra vaginam prominet, orificium vaginae diducit, perinaeum reprimat, ipsa rumpitur, caputque mox sequitur.

## §. 174.

In primiparis sub ultimo hoc actu frenulum, cum magno cruciatu, disruptum oblite-



rari incipit; quibus etiam & vteri & vaginae apertura acriori cum dolore diducitur, quam quidem illis, quae partum iam enixae sunt.

§. 175.

Ultimi *Dolores* minimis interuallis se inuicem sequuntur, vehementissimos cruciatus mouent, parturientem inquietam reddunt &, quia integrum corpus conquassant, suo iure *Conquassantes* vocantur. Sub illis parturiens sibi lumbos & vniuersam abdominis regionem diffringi putat. Hosce vero dolores praefagiunt sequentia.

§. 176.

I<sup>o</sup>. *Mucus sanguine tinctus*, quem *Signa* vocant. Sine dubio orificium vteri maxime dilatatum vascula quaedam ita distrahit, vt sanguinem fundant, eo copiosiore, quo propior partus est: vel velamentorum pars ab vtero soluta, e minoribus vteri orificiis, quibusdam sanguinis guttis exitum concedit.

II<sup>o</sup>. *Frons sudore madida*, ob fortiorem spiritus retentionem.

III<sup>o</sup>.



III°. *Parturientis impatientia*, situs frequens mutatio, aspectus inquietus, varia desideria.

IV°. *Ejulatus acutiori voce emissus.*

V°. *Primipararum tremor.* Primipararum genitalia quam maxime sunt sensibilia, ita vt partus tempore summis cruciatibus afficiantur, eo praecipue momento, quo intra exitum vaginae caput haeret: inde minor frequentiorum conuulsionum gradus, siue tremor, oritur, post partum mox cessans. In summo gradu, apud plethoricas, praecipue cum situs vteri obliquus fuerit, in conuulsiones periculosas mutatur.

§. 177.

Incerto tempore velamenta rumpuntur, vt liquor lymphaticus profluat, nunquam tamen, in optima partus specie, antequam orificium sit penitus diductum. Citius cum membranae fuerint tenuiores, serius cum fuerint crassiores. Differens ratio est, quando foetus vel vterus male siti sunt.

§. 178.

Caeterum inuoluntarius vrinae effluxus,



tempore partus contingens, cum profluxu liquoris amnii non est confundendus, nec aquarum dictarum spuriarum.

## §. 179.

Effluxus urinae distinguitur consistentia liquoris effluentis. Urina tenuis est, limpida, flavescens vel rubella: liquor vero amnii crassus, tenax, minus transparentis, albicans, mucosus, quasi pure refertus, coloris & odoris peculiaris, quam maxime nauseosi. Quod si etiam urina profluxerit, bulla aquea sub primo accedente dolore tangitur, effluxo vero amnii liquore, solum caput offertur.

## §. 180.

Vna alteraque ante partum septimana inuitae grauidae liquor copiosus e genitalibus quandoque effluit, quem nulli insequuntur dolores, nullus quoque partus praematurus. Orificium vteri tunc non amplius aperitur, quam ut minimum digitum admittat. Cum partus postea instat, liquor lymphaticus velamentis adhucdum inclusus tactu percipitur. Istum effluxum *Profluuium aquarum spuriarum* vocant artis obstetriciae periti.



## §. 181.

Profluentis liquoris origo ignoratur. Alan-  
toris rupta, transfusio per membranas, mem-  
branarum rima nequeunt probari. Ruptum  
vas lymphaticum, rupta ceruicis hydatis,  
ruptus velamentorum hydrops, ouum sub-  
uentaneum ruptum forsan magis ad verum ac-  
cedunt.

## §. 182.

Quodsi itaque ex improviso grauidae, vlti-  
mo grauiditatis mense, liquor e genitalibus ef-  
fluat, non prius pro liquoris amnii effluxu ha-  
beatur, quam exploratio id confirmauerit.  
Quare etiam grauida ad nixus edendos non est  
excitanda: imo, si spurias aquas tactus indi-  
cauerit, quies est suadenda, ne partus prae-  
maturus, prouocetur. Siquidem non omne  
aquarum spuriarum profluuium periculo caret,  
sed quandoque continuans, vterumque copio-  
so liquore priuans, ad contractionem ipsum  
determinat.

## §. 183.

Haecenus quidem foetum ad capitis vsque  
exitum in partu duximus. Sua sponte in partu



naturali corpus sequitur. Viam parauit caput, pars corporis maxima. Latiores quidem sunt humeri, sed apertura peluis superior liberum introitum concedit, nec, quod exitum moretur, ad inferiorem adest (§. 9.).

## §. 184.

Nec minus secundae, expulso iam foetu, a continuata vteri contractione, soluuntur & exprimuntur. Soluuntur enim a secundis fibrae vteri contractae, propius ad se inuicem accedentes, fundusque descendens & corpus ad axin longitudinalem contractum solutas secundas ad orificium propellunt, penitusque exonerant.

## §. 185.

Hisce igitur artificiis partus simplicissimus, sanissimus, nullo peregrino symptomate stipatus, seu maxime naturalis & facilis absoluitur.



CAP. IX.

STATVS VTERI POST PARTVM.

§. 186.

**P**artu excluso, ex sua natura (§. 91.) vterus rursus contrahitur, donec in pristinum fere statum virgineum redierit. Cum omnis elateris vis, quae multum perpeffa est, nunquam non aliquid amittat, mirum non est, vterum idem penitus & robur, & angustiam non amplius recipere.

§. 187.

Vteri fibris motricibus contractis vasa vteri, a sanguine contento dilatata, comprimuntur, ipsa etiam propriam contractionis vim rursus exerunt, quocirca, capacitate eorum imminuta, sanguinis contenti portio tenuior per vascula capillaria in maiores venarum truncos agitur, crassior vero, per hiantia in vterum lumina copiosa effluens, haemorrhagiam sanguinis crassioris excitat, quae, vtero ulterius contracto, post vnam alteramue horam sua sponte cessat,



## §. 188.

Hoc vero interuallo vteri vasa penitus non clauduntur, sed per quatuor ut plurimum septimanas aperta manent, ita quidem ut per binas quasi hebdomades priores lene sanguinis, per posteriores vero feri stillicidium continuet. Illud *Lochia rubra*, hoc vero *alba* vocant. Vasa sensim, recepto elatere, clausa non nisi serum transmittunt, donec tandem penitus claudantur.

## §. 189.

Quod si haec vteri contractio in omni ambitu aequaliter fiat, effluensque sanguis intra vterum non moretur, absque doloris sensu haec contractio absoluitur. Dolorifica autem est, si, vna fibra prae altera contracta, multae earum inaequaliter tenduntur, siue hoc fiat a debilitate ex grauiditate orta, in variis fibris varia; siue a restagnante, intra vasa vel vteri cavitatem, sanguinis grumo; siue ab aere intro-misso, spasmus excitante; siue ab alia quacun- que causa.

## §. 190.



§. 190.

Tensionem hanc dolorificam *Dolores post partum* vocant: qui doloris sensus partum praecedenti vero in aliis similis est, in aliis spurio. Ille itaque, (§. 169.) in regione lumborum ortus, versus pubem & os sacrum descendit, stimulumque ad aluum deponendam & lotium emittendum mouet, ita quidem vt ipsum quandoque lotium excrementaque sequantur. Hic vero vage supra pubem atque dorsum versus in abdominis regione vagatur.

§. 191.

Vno eodemque modo & primiparas, & eas, quae partum iam ediderunt, afficere hi dolores solent, alias quidem maiori, alias minori vehementia, nisi forsan apud primiparas, ob maius vteri robur, sint tolerabiliores. Quodsi peregrina symptomata non accedunt, intra primum nyctimeron sua sponte cessant; ad medium huius termini & vehementia & frequentia increfcere, post illud vero decrefcere solent.

§. 192.

Simplices licet omni periculo careant, eo tamen cruciatu quandoque affligunt, vt dolo-



90 STATVS VTERI POST PARTVM.

res partum comitantes, cum his comparatos, leniores censeant puerperae. Neque id mirum, quod dolorum ad partum tensio magis sit aequalis.

§. 193.

Sanguis, vterum haecenus extendens, a contractione vteri post partum sursum agitur, in mammas fertur, easdem extendit, copiosorem feri lactei, moxque ipsius lactis, secretionem affert, in vniuerso corpore *Febriculam lacteam* dictam excitat. Solent haec ut plurimum tertio post partum die euenire, quo maximam partem vterus iam est contractus.

§. 194.

Lac primum secretum, tenuius, ferosum appellatur *Colostrum*.





## CAP. X.

## PARTVS DIVISIO.

§. 195.

**F**unctionem corporis humani sanam vocant, quae cum facilitate, oblectamento & quadam constantia peragitur; morbosam, quae cum dolore, molestia citae defatigatione absoluitur. Haec quidem generalis functionum sanarum descriptio omnibus, si partum excipias, competit, nisi quod functiones dictae vitales absque omni sensu perficiantur.

§. 196.

Partus vero diuersissima est ratio. Omnis enim cum sensu molesto, cruciatu atque defatigatione perficitur; quare, proprie loquendo, omnis morbosus est censendus. Rara quarundam felicitas, quae liberos sine multo labore edunt, huc non spectat: hae enim ab omni plane dolore non sunt immunes, atque partes habent vitiose relaxatas & insensiles.

§. 197.

Quamuis vero omnis partus sit morbosus, quem tamen supra (Cap. V. & Cap. VIII.) descripsi,



scripsi, perfectissimus est: paucissimis quippe doloribus stipatur &, ob leuiora impedimenta, facillimo negotio peragitur, quo peracto nulla matri & foetui noxa pertimescenda est: quare etiam hic partus, si cum caeteris conferatur, non iniuria *Facilis* vocatur.

## §. 198.

Sicubi vero plura & grauiora impedimenta sunt vincenda, ita vt pluribus cum doloribus partus coniunctus sit, lentiusque procedat, matris adeo & infantis morborum causa sit, *Difficilis* audit & *Laboriosus*.

## §. 199.

Quodsi foetui exituro impedimenta, a natura non vincenda, obiiciantur, partusque naturam ducem sequi nequit, *Praeternaturalis* vocatur, qui *Artificialis* melius diceretur.

## §. 200.

Quandoquidem autem tum facilis, tum laboriosus, ope naturae perfici possunt, vtrique *Naturales* vocantur. Iste artis opem penitus non requirit, hic vero ab illa multum iuuatur & acceleratur.

## §. 201.



## §. 201.

Impedimentum oblatum pro suo gradu atque circumstantiarum ratione, quia vel maius vel minus esse solet, idem partus genus mox difficile, mox praeternaturale dici potest: quamlibet & impedimenta dantur, quae nunquam non partum reddunt artificialem.

## §. 202.

Perfectissimi vero partus nomen, qui tueri vult, is habeat requisita, quae sequuntur.

- 1<sup>o</sup>.) Debet ille fieri nono grauiditatis mense solari absoluto.
- 2<sup>o</sup>.) Peluis figuram habere Cap. I. descriptam.
- 3<sup>o</sup>.) Vterus haerere in axi peluis.
- 4<sup>o</sup>.) Foetus haerere in axi vteri, capite deorsum pendulo, facie ossi sacro obuersa.
- 5<sup>o</sup>.) Foetus membra iustam habere proportionem.
- 6<sup>o</sup>.) Cum capite oblato alia pars corporis non propendere.
- 7<sup>o</sup>.) Placenta foetum mox sequi.
- 8<sup>o</sup>.) Mater integra sanitate frui.
- 9<sup>o</sup>.) Impulsus dolorum efficax esse.
- 10<sup>o</sup>.) Genitalia morbo locali non laborare.



- 11<sup>o</sup>.) Foetus sanus & vegetus esse.  
 12<sup>o</sup>.) Paucis horis partus absolui.  
 13<sup>o</sup>.) Mater & infans post partum morbo, a partu orto, non laborare.

## §. 203.

1<sup>o</sup>.) Dixi, *Partum debere fieri nono graviditatis mense absoluto.*

Hunc terminum partui maturo natura, uti accuratior observatio docet, constituit, utraque eum non facile differtur. Nihil hic valet energia feminis deficiens, morbosa vel debilis patris constitutio, matris dispositio phthifica, hectica, qua foetus sufficienti alimento privatur; nihil status matris cachecticus, fluxus menstruus tempore gestationis contingens, diarrhoea aliusue morbus; nihil nimia vteri amplitudo; nihil affectus matris vehementior, qualis tristitia; nihil diaeta matris extraordinaria, vel inedia; nihil foetus debilitas & dispositio morbosa; nihil plures foetus in vtero detenti,

## §. 204.

Tantum enim abest, ut hae causae foetus moram in vtero retardent, ut potius accelerent. Viduae quidem vanis hisce speciebus illicitam  
 vene-



venerem defendere, atque haereditates aucupari, quin imo medicos nimis credulos vel lucri cupidos in suas partes trahere student, sed mera haec sunt ludibria praetereaue nihil. Huc tamen referendi non sunt foetus tubarii, aliique extra vterum concepti & lithopaedia.

## §. 205.

Ante nonum etiam mensem foetus maturus censendus non est. Vitalis quidem septimo mense esse potest, recte tamen a maturo distinguitur. Massae enim vegetabili prope modum similis est, per totum illud tempus, quo ante absolutam periodum fuit enixus. Continuo somno indulget, vagitum non edit, cibum non appetit, sed excitandus potius, si quidem nutrimenta sunt ingerenda: debilis caeteroquin, frigoris quam maxime impatiens, adeo ut fornacis beneficio calor ipsi quandoque fit communicandus. Post consummatam periodum, ex profundo somno emerfus, mouetur atque vagitu virium omina facit.

## §. 206.

Ita foetus se habet, qui vel binis solum hebdomatibus ante iustum tempus enixus fuit.

Imma-



Immaturum eum esse confirmatur, si tota cutis rubet vel liuida est, pilisque destituitur, si ipse foetus, proportionem matris, iusto minor, fontanella vero iusto maior est; os etiam maius, minus prominens, occlusum; labia cum auriculis, instar carnis cruentae, epidermide minus perfecte tecta sunt; palpebrae arctius connivent & quasi conglutinantur.

§. 207.

Quo magis vero ad constitutum terminum foetus accedit, eo melius auram ferre potest, viusque superesse: nec audiendus hic est bonus HIPPOCRATES, octimestri ius vitae denegans.

§. 208.

Partus praematurus difficilior est maturo, si ceruix vteri nondum sufficienter dilatata est & attenuata, & proinde fundo vterino maiorem opponit resistantiam, & frequentiores oriuntur dolores spurii. Maior difficultas foret, nisi minori foetus volumini angustior via sufficeret. Quodsi, ut interdum fit, haemorrhagia vteri concurrat, periculo non caret mater.

§. 209.



## §. 209.

Partus ferotinus, sicubi forsan contingit, difficilior est maturo. Foetus enim grandior est, capitis fontanella angustior; quare difficulter caput comprimitur & difficili opera caput grandius transit.

## §. 210.

Ex dictis intelligi potest, ad partum facilem & perfectissimum terminum etiam legitimum requiri.

## §. 211.

II°. *Vt Peluis figuram habeat capite primo descriptam*, ex praecipuis requisitis vnum est.

Peluis nimia angustia foetui transitum praeccludit, nimia amplitudo ad vteri prolapsum disponit. Istud mali genus prae hoc plus & incommodi & periculi parit.

## §. 212.

III°. *Vterus haerere debet in axi peluis.*

Ita quidem nulla ob ossibus peluis foetui exituro minus conueniens resistentia opponitur. Ossa vero grauiter resistunt, si ex axi peluis vterus aberrat, atque hac ratione foetus cranium versus os quoddam dirigitur.



## §. 213.

IVto. *Foetus in axi uteri, capite deorsum pendulo, facie ossi sacro obuersa, haerere debet.*

Quodsi enim ex hoc axi foetus deflectit, caput obuium in progressu suo a resistantibus ossibus retinetur, vim dolorum maximam non experitur, vel alia plane pars oblata omnem naturae operam eludit, atque artificis auxilium exigit.

## §. 214.

Vto. *Foetus membra iustam proportionem habeant.*

Quodsi enim debitam proportionem excedunt, nequeunt exire. Ita pessimum partus impedimentum est caput iusto maius, hydrocephalus, hydrops abdominis, foetus duplex connatus. Latiores humeros & ratio & experientia non amplius reformidat.

## §. 215.

VIto. *Cum capite oblato alia pars corporis non propendeat.*

Non solum enim illa pars spatium angustat, sed & caput ex suo axi dimouet, ita vt difficilis semper, praeternaturalis partus saepius, inde



de oriatur. Funiculus quidem, vna cum capite propendens, capitis exitum non remoratur, ast compressus foetum vita priuat.

§. 216.

VII<sup>mo</sup>. *Placenta foetum mox sequatur.*

Quodsi ipse partus laetus fuit & facilis, sua quidem sponte placenta sequitur, quippe quae fundo vteri inhaeret. Nihilominus tamen, vt partus ex omni parte beatus sit, haec conditio necessario requiritur, quae in facillimo caeteroquin partu quandoque deficit.

§. 217.

VIII<sup>o</sup>. *Mater integra sanitate fruatur.*

Quoniam ipse partus inter morbos est referendus, (§. 196.) hic cum alio morbo iunctus morbum efficit complicatum & nunquam non periculosum. Nihilo tamen secius, caeteris paribus, partum ipsum raro reddit difficiliorum. Vt hoc magis pateat, eo fine ad nonnullas quaestiones paucis respondebo.

§. 218.

(1.) *Quid ergo aetas matris ad partum confert?*

Vulgo matris aetas maximi momenti res hic censetur, ita vt vel nimis tenerae aetatis,



vel prouectioris feminae difficillimum partum edere plurimi sibi perfuadeant. Equidem non negauerim, mediam aetatem partus laboribus atque grauiditatis & puerperii symptomatibus ferendis in primis parem esse; verumenimvero partum eiusdem ideo faciliorem esse obseruatio repugnat. Id incommodi iuniores patiuntur, vt, ob maiorem fibrarum sensilitatem, plures interdum cruciatus patiantur. Illae etiam, quae prouectiori aetate prima vice pariunt, ob fibrarum difficiliorum distensionem plus, praecipue ad perinaeum, patiuntur & tardius pariunt: interim tamen, si caetera bene se habeant, partus felicissime succedit, & ista resistentia, a fibrarum vel sensibilitate vel rigiditate orta, a vi dolorum tandem superatur.

## §. 219.

2) *An pinguis femina difficilius parit?*

Bonus siquidem HIPPOCRATES, contra experientiam, steriles pronunciauit feminas pinguiore: alii etiam imaginariam circa orificium vteri locatam pinguedinem graue obstaculum partui putarunt. Sed experientia docet, nullam pinguedinem orificium vteri circumdare, & finge eandem etiam praesentem esse, tamen nullam, ob suam mollitiem, resistentiam causa-

retur



retur pinguedo, vti nec illa, quae circa vaginam & genitalia externa haeret, vlllo modo foetui resistit. Id incommodi praepingues patiuntur, vt minori muscutorum abdominalium & diaphragmatis vi polleant, atque per breue solum temporis spatium spiritum retinere queant, adeoque breuiiores & debiliores nixus edant. Minori tamen illa ceruicis vteri resistentia, a laxitate fibrarum inducta, minor laborum actio compensatur.

## §. 220.

3) *An nimis macilenta difficilius parit?*

Ratio ab osse coccygis petita, quasi, ob exsiccata ligamenta, difficilius id cedat, ridicula est. Neque enim in partu facili os coccygis extrorsum cedit (§. 31.) neque in corpore sano, quamuis macilento, ligamenta exsiccantur. Licet etiam in partu difficili os coccygis extrorsum premeretur, eiusque ligamentorum fibrae, ob macilentiam, strictiores essent, tamen maior inde enata resistentia a maiori fundi vterini actione, ob simile maius fibrarum robur, superaretur.



§. 221.

4) *An femina pusilla difficilius parit?*

Feminae pusillae foetus plerumque respondet matris proportioni, adeoque eiusdem cranium ad matris peluim debitam rationem habet: nullum itaque peculiare foetui obstaculum cum obiiciatur, nulla sufficiens difficilis partus videtur subesse causa.

§. 222.

5) *An gibbosa & claudicans difficilius parit?*

Si gibbosa & claudicans peluim habet a natura recte formatam, partus ob haec vitia non impeditur. Accidere quidem potest, ut in gibbosa lentius procedat, ob vitium pectoris, quod spiritum diu retinere atque nisus fortiores edere nequit. Sin vero gibbositas & claudicatio a rachitide ortae fuerint, ut plurimum notabilis peluis angustia & mala conformatio concurrit (§. 12.). Tunc vero euenit, ut tum gibbosae, tum claudicantes difficulter pariant.

§. 223.

6) *An imbecillitas parturientis partum reddit difficilem?*

Imbecillitatem matris, si quoad reliqua partus est facilis, partum non retardare probat

ex-



experientia. Vt enim partus absoluatur, fundi vterini actio resistantiam cervicis superare debet. Parturiens robusta validos quidem editus, attamen validam & cervix resistantiam opponit: imbecillis vero debilibus laboribus foetum protrudit, sed debilis etiam est cervicis resistantia. Vtroque ergo in casu actioni conueniens est resistantia, quam aequalis effectus sequitur.

## §. 224.

7) *Numquid morbus parturientis ad partum facit?*

α) Sunt omnino quidam morbi, qui partum reddunt difficillimum, imo praeternaturalem, nempe conuulsiones, vteri haemorrhagia, vteri inflammatio, de quibus infra pluribus.

β) Sunt quoque alii, qui difficiliorem reddunt partum, quales fere spastici & dolorifici, praecipue abdominales, v. g. vomituritio morbofa, (§. 172. n<sup>o</sup>. vii.) colica, nephritis, tussis vehementior, dysenteria, maximeque tenesmus. Ob consensum enim hi affectus stimulum faciunt doloribus veris contrarium, ita vt orificium vteri spasmodice contrahant atque dolores spurios afferant. Sem-



per etiam vim dolorum verorum & nisum  
respirationis imminuunt.

γ) Morbi pectoris partum difficiliorem reddunt, quoniam aegerrima spiritus retentio facit, ut vis laborum non minuatur solum, sed ipsi hi morbi eo ipso peiores reddantur.

δ) Herniae, praecipue vmbilicalis, retentionem spiritus atque musculorum contractionem impediunt, ipsaeque exprimuntur.

ε) Caeteri morbi sua quidem natura partum difficiliorem non reddunt (§. pr.), ipsi tamen morbi nonnunquam maligniores redduntur & per consequens puerperium ipsum faciunt quoque periculo plenum, quia maior sub laboribus sanguinis orgasmus atque virium labefactio praesenti iam morbo accedit.

ζ) Qui vero ex grauiditate oriuntur morbi, partu absoluto, sponte soluantur.

§. 225.

8) *Num animus parturientis indocilis, vel nimis demissus, partum retardat?*

Quia eiusmodi feminae vim contractionis vteri retentione spiritus non adiuuant, sed suspiriis potius & eiulatibus suis verorum dolorum vim imminuunt, ideoque languide &  
osci-



oscitanter nixus edunt. Praeterea situ conueniente locari nolunt, & hoc ipso impediunt, quo minus foetus exitum promoueant. Vim quoque laborum terror subitus atque vehementior non raro sufflaminat.

§. 226.

IX°. Ne ergo quid partum remoretur, *Impulsus dolorum ante omnia debet esse efficax.*

Hic quidem, saluis debitis requisitis, non facile deerit. Quod si tamen, ex causis supra (§. 219. 222. 223. 225.) allatis aliisue, minor dolorum vis interdum appareat; haec alenda est arte vel physica vel morali. Si vterus oblique situs est, dolorum vis, quae deficit, in casibus quibusdam per artem excitari potest.

§. 227.

X°. *Genitalia morbo locali non debent laborare.*

Etsi non pauci genitalium morbi sunt, qui difficilem partum reddere queunt, tanti tamen omnes ac singuli non sunt, quanti ex theoria multis videntur: neque etiam omnis partus difficilis inflammatio causa est.



§. 228.

Praecipua eorum genera sunt.

- α) Tumor quidam circa vteri orificium inflammatorius, scirrhusus, ulcerosus, cancerosus, qui huius orificii dilatationem & impedit, & maxime dolorificam reddit.
- β) Tumor vesicae vel intestini recti, vteri orificium atque vaginam comprimens.
- γ) Orificium vteri a praegresso partu difficiliori dilaceratum atque cicatricibus cohaerens, vel & penitus connatum: quae quidem cicatrices, vt orificium aperiatur, diris cum cruciatibus sunt dilacerandae.
- δ) Vagina vel a natura connata, vel a partu praegresso difficiliori, siue id ad introitum, siue in medio fuerit.
- ε) Vaginae tumores, quales fungus maior & caro excrescens, & inflammationes, adeo quandoque vaginam arctantes, vt vix specillum admittat.
- ζ) Vteri vel vaginae prolapsus.
- η) Vteri inflammatio, apostema &c., quibus fit, vt minus apte &, ob inaequalem tensionem, acribus cum cruciatibus vterus contrahatur.



§) Inflammatio genitalium externorum, quae sicut & ani inflammatio quandoque ab ineptae obstetricis manibus, has partes nimis fatigantibus, oritur.

§. 229.

Quamuis autem haec & similia mala partum retardare nonnunquam, & matri, ob metuendam gangraenam, periculum creare possint, dirisque cruciatibus non destituantur: nihilominus tamen, si foetus & vterus recte sunt siti, ipsum foetus exitum non impediunt, sed a dolorum vi superantur. Is casus excipiendus, quo vterum inflammatio sic occupat, ut ob rigiditatem suam is amplius contrahi nequeat.

§. 230.

Vanus etiam est difficilis partus metus, quem *primiparae* concipiunt sibi que fingunt ex genitalibus nondum satis dilatatis. Lentiolem quidem partum reddere possunt & magis dolorificum, sed eiusmodi partus non statim ideo inter difficiles est referendus. Reperiuntur totidem *primiparae*, quae facilem partum edunt, quot aliae: nec semper a partu difficili immu-

nes



nes sunt, quae saepius iam pepererunt, imo nec illae, quibus, ob perinaeum in praecedenti partu ruptum, porta amplissima est facta. Nec illae, quibus futura perinaeum est unitum, eapropter difficilem partum patiuntur. Quotiescunque partes molles nequeunt dilatari, a vi dolorum & capitis impulsu rumpuntur, nisi debitum auxilium feratur.

§. 231.

XI<sup>o</sup>.) *Foetum sanum & vegetum esse oportet.*

Vtique foetus vegeta vita ad perfectissimum partum requiritur, perfectum enim illud dici nequit, quod scopum spemque desideratam frustratur. An vero ipse foetus viuis ad partum suum aliquid conferat, de eo adhuc sub iudice lis est. Stimulus quidem foetui ad renixum a compressione vteri excitatus id probare videtur, sed partus foetuum mortuorum facillimi, toties obseruati, idem negant. Veteres quidem vnicam spem in vita foetus, ex hypothese sua, posuerunt, sed experientia aliud nos docet. Foetus vero putridus, iusto mollior, ab vteri contractione compressus, orificium vicissim minus premit, minus extendit, lentiolemque partum reddit. Putredo etiam  
miasma-



miasmate matrem inficiens, periculosis puerperii symptomatibus ansam praebet.

§. 232.

XII°. *Paucis horis partus absoluitur.*

Quodsi cuncta memorata requisita adsunt, paucae horae a primis doloribus veris ad partus finem ut plurimum numerantur. Raro ultra sex, etiam in primiparis & aetate provectioribus, partus facilis differtur. Quotiescunque diutius partus protrahitur, non male suspicamur, adesse aliquid, quod inferat moram & impedimentum foetui.

§. 233.

XIII°. *Mater & infans, partu peracto, morbo a partu oriundo ne laborent.*

Quodsi partus fuit beatus, haec lex sua sponte sequitur, & vicissim partus felicioris praegressi indicium esse solet.

§. 234.

Veteres, ut partum perfectissimum determinarent, hac ambage non utebantur. Perfectum partum, siue naturalem, vocabant, si capite praeuio infans sese offerebat: praeter-

natu-



naturalem, si alia corporis parte prodibat: pessimum, si pedibus prominebat. Sed haec observatio minime est perpetua. Ad partum enim perfectissimum non sufficit, infantis caput primum exire, sed ut reliquae etiam, quae enarratae sunt, conditiones ne desint, necesse est. Saepe fieri solet, ut, licet caput infantis fuerit praeuium, tamen partus admodum sit difficilis, imo praeternaturalis. E contrario quandoque naturalis, imo facilis partus ille est pronuntiandus, in quo alia plane infantis pars primum prolabitur: exempli gratia in partu praemature praestat fere clunes ante offerri, quam caput; cum enim foetus corpusculum sit minus, clunes maiori vi segmentum uteri inferius premunt, quam ipsum foetus caput. Quam observationem frequens experientia comprobat. Nonnunquam etiam, quamlibet rarius, genibus vel pedibus prodiens partus opinione facilius absolui potest.

## §. 235.

Tantum etiam abest, ut semper partus agrippinus difficillimus & aegerrimus habendus sit, ut potius inter optimos illorum nominandus veniat, qui arte absoluntur, & omnes, quos sola manus perficit, in eundem mutandi sint.



§. 236.

Neque tamen ideo maxime naturalis est atque exoptatissimus, vti DE LAMOTTE asserit. Namque

α) Rarius orificium vteri a doloribus sufficienter aperitur, cum pondus pro comprimendo segmento inferiori deficiat, nisi aquarum impulsus id praestet.

β) Vitae periculo eiusmodi foetus exponitur, nisi citissime partus finiatur. Funiculus enim umbilicalis premitur inter caput, pectus & peluim, quando foetus ad umbilicum vsque prodiit, sicque sanguinis circulus intercipitur.

γ) Caput difficili opera extrahi solet. Quotiescunque primum prodit, a doloribus compressum oblongum redditur, minusque volumen habet. Ultimo autem illi extracto fundus vteri incumbit, verticem premit, sicque latitudinem maiorem reddit.







terna manifestantur; examinatur figura peluis, partus propinguitas, dolorum differentia, verine sint, an praesagientes, an spurii; determinatur pars foetus oblata, & situs orificii uterini, adeoque utrum partus futurus sit facilis, difficilis vel praeternaturalis; eruuntur etiam nonnullae sterilitatis causae, haemorrhagiarum uteri differentiae; praesentia abortus exploratur atque similia.

§. 240.

Haec vero cuncta ex aliis signis vel plane non cognoscuntur, vel minus distincte, quibus de causis explorationis usus amplissimus patet. Neque etiam prudens medicus vel sagax obstetricans prius aliquid unquam molitur, quam praeuia exploratione conditionem uteri detexerit. Hinc si grauida, vel parturiens, ab intemptiuo pudore prohibita, hanc explorationem penitus respuit, praestet illam suae sorti relinquere, quam incerta molimina tentare.

§. 241.

Sequenti autem modo exploratio ista peragitur.



1<sup>o</sup>.) Digitus halitu calefiat, vel & pinguedine, oleo, butyro inungatur; cui operationi index optime seruit: quandoque tamen secundus digitus etiam est iungendus, ut index eo altius ascendere possit.

2<sup>o</sup>.) Intromittatur in vaginam, ductu primo perinaei, dein parietis vaginae posterioris, ea parte, qua cum intestino recto cohaeret, atque usque eo progrédiaur, donec obiectum obstaculum vltiorem progressum impediat. Leniter tamen & caute procedendum est, ne partibus vlla vis inferatur, vel maior vaginae ruga pro ea parte vaginae, quae cum ceruice vteri cohaeret, habeatur.

3<sup>o</sup>.) Quodsi vagina longior est, provti saepius accidit, perinaeum lente sursum prematur, donec digitus summitatem vaginae attigerit.

4<sup>o</sup>.) Digitus in, summitate vaginae haerens, versus omnes plagas circumferatur, atque tam status segmenti vteri inferioris, quam orificii vterini propendentis, atque rima transversa distincti, indagetur. Caueas, ne vaginae circulum prominentem, vel tuber pro orificio vteri habeas.



§. 242.

Quemadmodum vero differens est feminae situs, ita differens etiam explorationis ratio debet esse.

§. 243.

Feminae supra vulgi conditionem euectae decumbentes plerumque explorantur, quare ut digitus intra vaginam mitti possit.

1<sup>o</sup>.) Femina genu operatori propinquum ita eleuat, ut infra illud operator manum ad genitalia ferre possit.

2<sup>o</sup>.) Manus genitalibus propinguae operator indicem perinaeo applicat, pollicem versus os pubis dirigit extensum, reliquos digitos in palmam manus flexos versus anum ducit.

3<sup>o</sup>.) Index antrorsum missus intra vaginam demittitur.

4<sup>o</sup>.) Altera manus lumbis supposita eosdem attollit.

5<sup>o</sup>.) Lateri obstetricanti opposito oblique femina incumbit, siquidem id facere non recusat.



6<sup>o</sup>.) Vbi vero hac methodo orificium vteri attingi nequit, femina genibus incumbere debet.

§. 244.

Genibus quidem incumbente femina in lecto suo, vel & pedibus insistente, pectore antrosum propendente atque natibus retrorsum versis, optime orificium vteri attingitur, altissime etiam haerens, si modo a posteriori corporis superficie digitus intra vaginam ducatur. Sic enim commode vaginae orificium digito tangenti offertur. Hic vero explorandi modus locum habere nequit, si, ob nimis propendens abdomen, grauidae corpus antrosum flectere non datum est.

§. 245.

Aliae feminae non nisi fellae insidentes se explorari patiuntur. Quo vero hoc fieri possit, femina soli margini sedilis infideat, ita ut vaginae introitus liber sit; eodem fine etiam dorsum reclinet. Ipse dein explorationis modus vnus idemque est cum illo, qui (§. 243.) descriptus est.



## §. 246.

Quae vero sunt vilioris conditionis feminae, stantes explorantur. Quocirca

- a) Paulo humilius sedet operator, vel & genibus incumbit.
- β) Femina tangenda coram ipso pedibus insistit, cruribus, quantum potest, diuarcatis,
- γ) Alteram manum operator ad perinaeum ducit,
- δ) Alteram circa feminae lumbos flectit, eosdemque antrorsum premit.
- ε) Femina dorsum retrorsum flexum vel ipsa sustinet, vel adstanti applicat.
- ζ) Ipsa caeterum exploratio fit modo (§. 241.) descripto.







β) A solidioribus cibus, etiam prandii & coe-  
nae horis, abstineat: sanguis enim in febrili  
motu constitutus facile digestionem impedit,  
ingestos cibos corrumpit, ita vt putrefacti  
sanguinem vicissim inficiant, sicque genuinae  
febris fomes generetur & alatur.

γ) Siti vero suae pro lubita aquosis potulentis  
satisfaciat parturiens, siue ea potulenta fue-  
rint iuscula tenuiora, siue infusum theae for-  
me, siue aqua vel sola, vel cum speciebus  
pectoralibus decocta, siue aqua simplex non  
decocta. Consuetudini tamen, vitae generi  
& regioni aliquid dandum esse non nego.

δ) Confortans etiam medicamentum debilibus  
exhiberi potest, idemque gratius.

§. 249.

Clystere etiam purgari debet parturiens, vt,  
excrementis eductis, mundities obtineatur.  
Caput enim foetus, a doloribus intra peluim  
compulsus, comprimit intestinum rectum,  
ante se excrementa pellit, quae sub tempo-  
re partus continue effluentia manum obste-  
tricantis lectumue contaminant.



§. 250. Gravidis etiam appetitus deprauatus non infrequens esse solet; ita vt cibos digestu difficiles, fruges, acetaria, acida, a quibus non nisi cruditates & flatus generantur, frequenter appetant. Quin ventriculus & intestina ab utero expanso iniqua ratione comprimuntur. Quamprimum autem caput peluim iam ingressum est, isti flatus & cruditates non amplius expelli possunt. Quamobrem ingruentibus partus doloribus, abdomine compresso, sanguine in motum acto, stabulantia inquinamenta excitantur, intestina stimulantur, contractio eorum inaequalis redditur, parturiens torminibus misere vexatur & libera musculorum abdominalium atque diaphragmatis contractio impeditur. Haec mala praecauet clyster mature exhibitus, emolliens, carminatiuus.

## §. 251.

Alui obstructione plurimae grauidarum laborant, excrementa exsiccantur, in lapideam quandoque duritiem coeunt, caput infantis retardant, a dolorum tandem impulsu eorum resistentia superatur, vltterius pelluntur, atque cum cruciatibus aequae ac ani laesione exprimuntur.



muntur. Clyster itaque emolliens ante partum tempestive applicatus, imo repetitus, quoniam impedimentum exturbat, partum & expeditiorem & minus dolorificum reddere potest.

§. 252.

Hic fere vsus est clysmatum mature applicatorum. Serius autem exhibita, quando caput intra pelvis cavitatem iam haeret, atque intestinum rectum compressum est, nullius sunt vsus. Falso dolores veros excitare dicuntur, non nisi a fundi vterini superante actione oriundos. Male ergo, deficientibus his doloribus, acriores clysteres parturientem & fatigantes & laedentes applicantur.

§. 253.

Ante partum etiam lotium emittere oportet parturientem, ne caput intra pelvim haerens comprimat vesicae collum, sicque effluxum urinae impossibilem reddat. Quodsi etiam suppressione urinae iam laborat parturiens catheteris ope urina est expellenda.



§. 254.

Quae plethoricae sunt, pulsum plenum & eleuatum habent, facie rubent; ante partum aliquot sanguinis vncias amittant oportet, quamuis & optime valeant & partus futurus sit facilissimus. Ita enim labores redduntur vegetiores minusque senfiles, atque peiora puerperii symptomata praecauentur.

§. 255.

Prae reliquis venaesectionem non negligant, quae difficilius spiritum ducunt, atque in praecedentibus puerperiis incommoda, ob sanguinis missionem neglectam, tulerunt.

§. 256.

Nec infrequens est, primiparas, fibris facile irritabilibus praeditas, latice rubro repletas, sub optimo caeteroquin partu, convulsionibus corripitur, quae quidem venaesectione optime & praecanentur & soluantur.

§. 257.

Hisce peractis de sufficienti copia linteorum siccorum & calefactorum, & de necessariis, ad  
funi-



funiculum deligandum & discindendum, praeparandis, de temperando cubiculi calore, de remouendis adstantibus inutilibus & parturienti minus acceptis, de commodo parturientis situ, aliisque obstetricans cogitet. Nec male agitur, si liquor quidam reficiens, & instrumenta maxime necessaria, obiecta tamen, ad manus sunt, ut iis medicus, arduis in rebus, mox uti queat.

§. 258.

Ab initio quidem parturiens nulli certo firmi adstringatur, sed pro lubitu ingrediatur, decumbat, sedeat, donec orificium vteri ultra medium pelvis diametrum sit apertum. Si iusto ocyus lectulo incumbit, vel sedili infidet, impatiens fit atque lassatur. Imo frequentissime obseruatur, multis parturientibus labores esse efficaciores, si pedibus insistant, quam si decumbant, vel sedeant. An ob grauius foetus pondus in segmentum vteri inferius nitens? Neque etiam asthmaticae, gibbae, incuruae, cunctaeque, quibus respiratio est difficilis, sedentes vel decumbentes, tam validos nixus edunt, quam quidem erecto corpore. Circumstantiae interim tempus determinabunt. Interea frequentiori tactu vteri orificium explorandum



randum atque, antequam foetus cavitatem pelvis intrat, parturiens in commodum situm collocanda, ne inopinato, doloribus fortius urgentibus, foetus expellatur, magno cum matris incommodo & foetus periculo.

§. 259.

Is vero situs optimus est censendus, in quo parturiens validissimos nixus edit, quorum actio eapropter est explicanda, ut is situs determinari queat.

§. 260.

Ista autem actio triplex est,

I) Imo) Contrahuntur abdominis muscoli.

II) Do) Diaphragma contrahitur.

III) Itio) Post valentiores inspirationem spiritus retinetur.

§. 261.

Quo melius muscoli abdominales & diaphragma magno momento contrahi, atque abdominis viscera deprimi possint, ossa, quibus hi muscoli adnectuntur, fixa & immota sunt servanda. Sunt ea ossa

α) Pelvis.

β) Lumborum vertebrae.

γ) Thorax.

§. 262.



## §. 262.

Vt pelvis figatur, extremitates inferiores corpori resistenti inniti debent: quapropter, dum dolor accedit, parturiente pedibus insistente, pedes extremi in terram firmiter defigantur. Quando pedes terrae apprimuntur, musculi eorum valide contrahuntur, valide etiam femoris musculi agunt, illudque & ad peluim, & ad genu firmiter. Cum vero versus anteriora genu sit mobile, musculorum agentium actio iuuatur, si genu, obstetricis repressione, firmatur, ita vt articulatio eius immobilis fiat, atque musculi femoris & pedis originem fixam ibidem nanciscantur. Ita firmatis pedibus, femoribus, lumbis atque pelui, musculi abdominales origine ad peluim & lumbos fixa non destituuntur.

## §. 263.

Vt thorax firmetur, partim a firmatis musculis abdominalibus obtinetur, partim a firmata parte superiore, qua cum extremitatibus superioribus cohaeret. Extremitates itaque superiores manibus corpori cuidam firmissime inhaereant, contractis musculis rigescant, rigescant etiam musculi pectorales, latissimus dorsi, musculi scapulae & clauiculae adnexi, sicque superior thorax figatur.

## §. 264.



## §. 264.

Tandem & vertebrae figendae sunt, quarum muscoli partim sibi ipsis adhaerent, partim thoraci, partim pelui. Quare firmata pelui & thorace, & propriis ex parte etiam musculis contractis, vertebrae figuntur. Ne vero retrorsum flectantur, atque diri parturientis cruciatus moueantur, lumbi corpori cuidam immobili innitantur.

## §. 265.

Quo melius itaque in situ erecto debiti nixus edantur,

- α) Parturiens pedibus terrae firma insistat.
- β) Manu corpus resistensprehendat.
- γ) Lumbis parieti resistenti innitatur.
- δ) Genua eiusdem ab obstetrice firmiter prehensa reprimantur.

## §. 266.

Hoc in situ constituta optime quidem nixus edit, si descriptae cautelae obseruantur, nequit vero in eodem semper manere, sed vel sellae infidere, vel in lectulo decumbere debet. Vtrum vero lectulus sedili, an hoc illi sit praeferendum, conditiones certae determinant.



§. 267.

Sunt autem conditiones huiuscemodi;

- α) Oportet, vt ad nixus strenue edendos pedes, manus atque lumbi obstaculo cuidam firmiter innitantur.
- β) Vt foetui exituro nullum a situ impedimentum obiiciatur.
- γ) Vt in laborum interuallo parturiens requie vires conseruare possit.
- δ) Vt genitalia vbique sint tecta.
- ε) Vt munditiei consulatur.
- ζ) Vt fitus, si ita fert fortuna, facile in eum mutari possit, quem artificialis partus requirit.
- η) Vt, partu peracto, puerpera adhucdum requiescere possit, antequam in puerperii lectum transferatur.
- θ) Vt obstetricans commode suum administrare possit officium.

§. 268.

Lequlus itaque, qui ad partum eligitur, sequentem in modum debet aptari.

- 1mo.) Sponda sit longitudinis consuetae, latitudinis non maioris, quam quae vnicae personae accommoda, eo consilio, vt adstantes



eo melius ab vtroque latere necessaria curare queant.

2do.) In medio ferramentis iuncta mobilis sit: pedes spondae cochleatis clavis ita affigantur, vt solui, atque totus eius apparatus facili opera e loco in locum transferri possit.

3tio.) Asserculi modici, tam in superiori, quam inferiori spondae parte firmandi sunt, ita tamen, vt in superiori sui parte inferior asserculus sit excauatus, superior integer.

4to.) Puluinar lana & equinis crinibus refertum, quod Mastrucam vocant, imponatur.

5to.) Ad spondae partem inferiorem mastrucae addatur puluinar minus, stramine conciso plenum, durius & resistens.

6to.) Huic superimponatur aliud puluinar lana & equinis crinibus refertum.

7mo.) Hocce tegat pellis vel pannus ceratus.

8vo.) Linteum magnum, quadruplicatum, pellem circumfundat, cuncta vero aliud linteum vulgare circumuestiat.

9no.) Asserculus, in inferiori parte excisus, ad superiorem partem puluinaris n. 5. in spondam firmetur, vt puluinar n. 4. & 6. pertrahi possint.

10mo.) Ansa ad latera spondae addantur, in diuersas distantias mobiles. 11mo.)



Imo.) Minora puluinaria, capiti seruientia, tegmen linteumque superius, ne quid desit commoditati, adiiciantur.

§. 269.

Lectulus sic aptatus.

Imo. *Nixibus edendis quam maxime accommodatus est.* Namque

α) Pedes parturientis vtrisque obniti possunt a sterculo excavato (§. pr. n. 3.). Genua autem eleuata ab adstante firmiter teneri possunt (§. 262.).

β) Ansa lectuli (§. pr. n. 10.), manibus parturientis fortiter apprehensae, maximo, pro thorace figendo, subsidio sunt (§. 263.).

γ) Lumbi puluinari duriori (§. pr. n. 5.) opponuntur. Quando autem hoc non sufficit, tunc mantile suppositum a duobus vtrisque adstantibus sursum sic trahatur, vt lumbi firmentur (§. 264.).

§. 270.

II<sup>c</sup>. *Nullum foetui exituro impedimentum ab eiusmodi lectulo obiicitur.*

α) Ingressum enim in aperturam peluis superiorem situs non impedit, siue parturiens



decumbat, siue fedeat. Vterus enim, a vertebribus & interiectis intestinis perinde sustentatus, a doloribus in peluim deprimitur.

β) Egressus quidem ex apertura inferiore a cubitu impediri a nonnullis creditur, eoque nomine sedile a multis cubitui praefertur. Aiunt enim parturientem in lecto iacentem ossi coccygis incumbere, quare hoc imprimi non posse, atque sic foetui egressuro esse obstaculo.

§. 271.

Quod si verum esset, sedile omnino lectulo esset praefendum: verum enim uero prolata ratio est nulla, experientia teste. Etenim,

- 1°) Haec nos docet, nullam, parturiente in lecto decumbente, foetui exituro remoram fieri.
- 2°) Parturiens in lecto recte locata sub tempore dolorum incumbit ossi sacro, crura habet eleuata & diuaricata, peluisque apertura inferior directe obstetricanti est obuersa.
- 3°) In partu facili os coccygis non reprimitur.
- 4°) Quod si vero reprimendum est in partu difficili, facili opera spatium vnus pollicis latum, vltra quod nunquam retrocedit, potest procurari, & quidem puluinaris (§. 268. n. 6.) ad locum coccygis impressione, eleua-



elevatione lintei quadruplicati, (l. c. n. 8.)  
& corporis parturientis versus marginem le-  
cti prouolutione.

§. 272.

III°. *In interuallo dolorum parturiens molliter  
in lectulo requiescit; imo, si longiora for-  
san dolorum interualla sint, somno demulce-  
ri potest: per excauatum enim asserculum  
(§. 268. n. 3.) pedes deuolutos obstetrican-  
tis gremio imponit.*

§. 273.

IV°. *Ope tegumentorum, quae in lectulo sunt,  
genitalia teguntur, liber aeris accessus in-  
tercipitur, parturientis pudori consulitur.*

§. 274.

V°. *Mundities, adhibitis linteaminibus, potest  
conseruari, &, si liquor amnii profluit, pa-  
tina vel matula oblonga, quae ante lectum  
collocatur, excipi potest.*

§. 275.

VI°. *Situs, quem praeternaturalis partus re-  
quirit, melius aptari potest in lectulo, quam  
quidem in sedili, de quo infra pluribus.*



(.8. n. 3.) §. 276.

VII<sup>o</sup>. Sublato dorsali (§. 268. n<sup>o</sup>. 9.) loco grabati, *partu absoluto, puerpera* hoc lectulo vti potest, in quo tamdiu *requiescit*, donec vires resumserit paulatim, copiosusque fluxus sanguinis defuerit. Lectulus dein ope rotularum transfertur ad lectum puerperae destinatum, praeparatumque, atque huic ipsa imponitur.

§. 278.

VIII<sup>o</sup>. *Obstetricans liberius suum agere potest officium*, & commode ante parturientem erecto corpore vel stare, vel sedere, ab omni immunditie liber, praesertim si vtatur succinctorio.

§. 279.

Descrito lectulo toties vtendum, quotiescunque ad manus est. Eo vero & sedili deficiente seruiendum est loco & circumstantiis, atque lectulus extemporaneus conficiendus.

§. 280.

Eiusmodi lectulum describit VAN HOORN. Imo) Eligit quatuor fellas aequalis altitudinis, quas sibi aduersas ad parietem immobilem collocat.



- 2do) His durius atque bene fartum puluinar imponit. Quod, si mollius fuerit, antea replicat.
- 3tio) Hoc linteo tegit ad terram vsque pro-pendente, quod acubus neçtit.
- 4to) Capiti quaedam puluinaria subiicit, ad pa-rietem firmanda.
- 5to) Lumbis vero mantile supponit, sub do-loribus ab adstantibus eleuandum.

§. 281.

Vt vero haec machina parturienti opem ferat, necesse est, vt tempore dolorum plu-res adsint, quorum alii manus, alii pedes par-turientis teneant. Id proinde habet incommodi, vt plures seruiantes requirantur, qui etiam a fellarum dorsis maximopere in suis functionibus impediuntur. Eligantur itaque, si quidem ad manus sint, fellae dorsis carentes.

§. 282.

Alia etiam ab eodem describitur machina, priori fere similis, nisi quod quatuor loco sel-larum tribus vtatur, quarum vna, quam Fauteuil vocant, brachiis instructa est, cuius dorsum parieti applicat: duas alteras autem fellas fune



ligatas ita connectit, vt inter eas spatium relin-  
quatur, eo confilio, vt in partu praeternatu-  
rali operatio facilius perfici queat, nec partu-  
riens ad marginem lectuli sit trahenda: prae-  
terea id commodi habet, vt brachiis sedilis  
parturiens inniti possit.

## §. 283.

Alii etiam grabatis vtuntur, non adeo con-  
temnendis, sequentem in modum, si quidem  
in partu vsui esse debent, adornandis.

α) Grabati mastruca puluinar durius, vel as-  
ferculus subiiciatur, vt lumbis corpus resi-  
stens opponatur.

β) Ipsa mastruca pars superior conuoluatur, vt  
caput cubantis sit elatius.

γ) Grabati pars superior parieti admoueatur,  
atque inter afferculum grabati superiorem &  
mastrucam fellula, quam Tabouret vocant,  
vel fella vulgaris inuersa locetur. Hac ra-  
tione mastruca conuoluta firmatur & dorsum  
sustinetur.

δ) Mastruca linteo tegatur quadruplicato, cum  
alio superiore in terram propendente.



- ε) Rite tandem linteum aliud atque tegmen cuncta obducant, & quaedam adhuc pulvinaria, capiti forsan subiicienda, ad manus sint.
- ζ) Mantile, sub doloribus eleuandum, lumbis supponatur.
- η) Ad inferiorem spondae partem duo alia mantilia, quae parturiens manibus comprehendat, firmentur.

§. 284.

Hic situs idem habet incommodum, quod lectulus extemporalis, ut nempe pedes non nisi a feruentibus confirmari possint. Praestat tamen, quoniam mantilia parturiens arripere, partu peracto requie in grabato refici, & commode feruentes aequae ac obstetricans suis officiis fungi possunt.

§. 285.

Lecti vero latiores, quales in Gallia frequentes sunt, plurima & grauissima habent incommoda. Namque

- α) Adstantibus inniti nequit parturiens, adeoque minus strenue nixus edit.



β) Difficulus etiam, ob lecti magnitudinem, ei succurri potest; praecipue vero mantile lumbis suppositum attolli nequit.

γ) Ut lumbi obstaculo cuidam opponantur, superiori mastrucaae supponendum est pulvinar infartum, durius, quod partu absoluto non absque incommodo rursus aufertur.

δ) Lintea etiam a partu contaminata difficili opera auferuntur, aliaque supponuntur: comode enim conspurcata retineri nequeunt.

## §. 286.

Parturientes in Germania pleraeq; quidem partum absoluere solent infidentes fellae; quae tamen tam misere sunt constructae, vt plurimum incommodi parturienti adferant.

## §. 287.

Omniū fellarū optima structura est illa, quam DEVENTERVS depingit, dummodo requisita, quae sequuntur, non desint.

- α) Sedile ex ligno fabrefactum sit.
- β) Firmum sit & mobile.
- γ) Praecipua eius pars est culcitra perforata, cui femina insidet, sursum & deorsum mobilis.

δ)



δ) Mobilis etiam esse debet asseris posterioris pars superior, seu fulcimentum: immobilis vero eiusdem pars inferior, qua totum fedile nititur.

ε) Mobilia etiam sint latera.

ζ) Cuncta puluinaribus probe obtegantur.

η) Ad fulcimentum duo asserculi firmentur puluinaribus obducti, quibus caput accumbens requiescit.

θ) In laterum partem inferiorem ferrum ab utroque latere vnum firmetur, antrorsum & retrorsum mobile, atque ita fabrefactum, ut pedes eidem inniti queant.

ι) Simili modo superius ansae mobiles inferantur.

§. 288.

Minus commoda sunt reliqua sedilium genera. Vetustissimum Eucharii RHODIONIS scamnum exhibet quatuor pedibus insistens, cuius fulcimentum dorsuale immobile est; asserculus, cui parturiens insidet, perforatus quidem, sed fulcris, quibus manus & pedes innitantur, destituitur.



§. 289. **RVEFFII** hoc melius non est, nisi quod inferius, pro liberiori aeris accessu arcendo & pudore consulendo, panno obuolutum est.

## §. 290.

In aliis fulcimentum dorsi penitus deest, eiusque loco minister parturientis humeros manibus impositis firmat, atque genu lumbis ita apprimat, ut parturiens obstaculum, cui innitatur, habeat. Margines duo laterales & posterior asseribus inferius sunt muniti, ob eundem cum praecedente scopum. Asserculi etiam adfunt, quos manibus parturiens comprehendere potest.

## §. 291.

Vtilius est sedile **WELSCHIANVM**, cuius quippe fulcimentum dorsuale mobile, quodque asserculis pro capitis requie instructum est.

## §. 292.

Pedum fulcimentum addidit **VOELTERS** atque **WIDENMANNIN**.

## §. 293.

**SIEGMVNDAE** sedile pro parturientis nixibus edendis plurima quidem commoda habet,



bet, atque mox in grabatum, pro puerperae requie, mutari potest, sed obstetricantis operam minus libere admittit.

§. 294.

Interim omnia haec sedilium genera plura habent incommoda, quam lectulus, quia

- a) In illis parturiens tam commode quiescere nequit, in dolorum interuallo, nec crura iungere, quam quidem in lectulo.
- β) Musculi abdominales magis ab utero expanso premuntur, minori proinde vi contrahuntur.
- γ) Liber aeris accessus in sedili noxius est.
- δ) Minus commode in partu praeternaturali & extractione secundarum obstetricans in sedili operatur, quin imo penitus in quibusdam operari nequit.
- ε) Accedit quod, partu in sedili absoluto, mox in lectum puerpera sit transferenda.
- ζ) Quodsi deficiat fulcimentum dorsuale, vel sit immobile, deficient fulcimenta pedum, manuum & capitis, sedile sit nimis humile, incisura sufficienter non sit excissa, incommoda augentur.



§. 295.  
 Quae quum ita sint, commodissime in le-  
 ctulo artificiali partus absolvitur. Reliqui si-  
 tus non nisi rarius & urgente solum necessitate  
 adhibendi sunt.

§. 296.

Sedilia vulgaria, Fauteils dicta, fulcimen-  
 tum dorsuale mobile quidem habent, manus  
 obstaculo imitari possunt, adeoque sedilibus vul-  
 garibus commodiora sunt; nihilominus hoc ha-  
 bent incommodi, quod pedes resistentia desti-  
 tuantur, lumbi non nisi a culcitris mollibus  
 (quibus vacuum, inter parturientis dorsum &  
 sedilis fulcimentum dorsuale, spatium repletur)  
 sustineantur nimisque sint humilia.

§. 297.

Nec etiam situs ille, quo parturiens gre-  
 mio cuiusdam insidet, probandus est. Resi-  
 stentiae enim desunt, minus commode obste-  
 trix operatur, recipiens contaminatur, partu-  
 rientisque pectus comprimitur. Quando vero  
 parturiens debilis est, sedili praeferrari debet.

§. 298.

Neque etiam, donec foetus excidat, pedi-  
 bus insistat, vel genibus incumbat parturiens,  
 nisi



nisi quandoque, cum vterus nimis ad os factum est versus.

§. 299.

Caeterum debita ratione collocatam parturientem obstetricans diligenter curare, coram eadem inter genua confidere, atque subinde statum orificii vterini partusque progressum tactu explorare debet.

§. 300.

Haec autem exploratio opus est primo antequam Dolor ad partum accedit, ut, velamentis laxis, situm foetus, partem eius prolapsam atque orificii situm cognoscat: deinde sub ipso Doloze, ut, quisnam sit dolor determinans, ad nixus edendos parturientem vel excitet vel dissuadeat: denique post Dolorem, ut quantum Dolor partum promouerit cognoscat. Caueat vero, ne rudi opera explorans velamenta disrumpat, vel & ipsum vterum ad orificii latus digitis minus peritis perforet, vel saltem laedat.

§. 301.

Simulac veros Dolores adesse certum est, partus quam maxime a nixibus voluntariis promouetur. Quare sub primo Doloris accessu

post



post fortem inspirationem parturiens spiritum retineat, utque hoc eo melius praestet, & larynx non nimis extrorsum prematur, mentum in collum deprimat, abdomen atque diaphragma, quanta vi valet, contrahat, simili penitus nisu, quo scybala duriora excernuntur. Hoc tamdiu continuet, donec contractio vteri cesset. Caueat vero, ne sub spuris doloribus hos nixus edat.

## §. 302.

Hacce laborum opera partus promouetur, atque liquor lymphaticus velamentis inclusus protruditur, tandemque ipsa velamenta rumpuntur, quae partum accelerandi gratia saepius ab imperitis digitis lacerantur. Malo omine id fieri patet, quare prius in partu optimo sua sponte non finduntur, quam cum iam extra pudenda haerent: eousque enim partibus dilatandis inseruiunt. Quando vero vel caput, vel integrum ouum est protrusum, liquori effluxus est concedendus, ut maiori vi vterus contrahatur & infans spiritum trahere possit. Membranarum crassities rarissime accusanda est. In partu praeternaturali alia obtinet ratio.



## §. 303.

In partu facili operator nihil moliatur, priusquam caput foetus eoque progressum fuerit, ut vertex cranii iam retro finum haereat, unusque vel alter labor capiti exprimendo par sit. Tunc temporis duplex operatoris opera requiritur: una genitalia externa salva seruat, altera foetus exitum iuvat.

## §. 304.

Quoniam enim foetus axin pelvis sequitur, versus anum tendit. Successiue peragrans vaginam, parietem posteriorem, intestinum rectum, anum & perinaeum versus os sacrum reprimat, quam repressionem atque orificii vaginalis dilatationem obstetricans sequentibus iuvat.

α) Pinguedine quadam, butyro, oleo amygdalarum dulci & s. vaginam atque labia saepius inungere potest, ut consuetudini satisfaciat, atque forsan fibras paulo magis relaxet.

β) Ad utrumque orificii vaginalis latus, prope perinaeum, utriusque manus indicem & medium digitum collocat,



γ) Sub quouis ingruente dolore digitis his perinaeum versus os sacrum premit, atque infra caput ducit, qua ratione capiti porta panditur, vt absque impedimento & perinaei noxa excidat.

## §. 305.

Simulatque caput vsque eo prodiit, vt prehendi possit, vtraque manus capiti circumponitur, pollex vero imponitur vnus alteri contiguus. Tunc foetus sub primo doloris impulso extrahitur.

## §. 306.

Quando iam integrum caput extra pudenta haeret, minimi bini digiti mentum comprehendunt, vt eo maiori vi tractio fiat. Minus directe, sed motitando foetus trahitur, qua ratione humeri melius sequuntur.

## §. 307.

Humeris comparentibus digitus index sub axillam demittitur, ficque humerorum solutio adiuuatur. Probe etiam in extrahendo axis peluis respiciatur.

## §. 308.



## §. 308.

Ob resistantiam parietis vaginae posterioris atque perinaei caput & humeri versus pubem diriguntur, atque arcui ossium pubis adhaerere possunt. Quod quidem praecauetur, si caput in extractione versus perinaeum deprimitur.

## §. 309.

Foetum exclusum placenta mox insequitur, quare absque mora funiculus deligandus est. Antequam vero id fiat, digitus intra infantis os feratur, ut muco eliminato infans libere aërem trahat. Infans ipse ita collocetur, ut facie sua operatorem respiciat, atque ab effluente e genitalibus sanguine immunis sit. Quod si tunc foetus viuis atque vegetus est, vagitu vires demonstrat; debilis vero, qui in partu multum est passus, vel a funiculo umbilicali circa collum fuit constrictus, quietus manet & mortuo fere similis.

## §. 310.

Funiculus umbilicalis sequenti modo deligatur & perscinditur.

1<sup>o</sup>.) Ligatura duplex fit, vna foetus gratia, ne haemorrhagia pereat, ad distantiam qua-



tuor saltem digitorum transuersorum ab umbilico, ita vt secunda ligatura, si prima forte minus sufficit, inter eandem atque umbilicum fieri possit. Altera ad duorum vel trium digitorum transuersorum distantiam a priori injicitur, ne sanguis e placenta effluere queat.

- 2.) Prior nodo primum chirurgico firmatur superius, inferius deinde vulgari, vulgaris tandem superius ligaturam absoluit.
- 3.) Posterior ligatura vulgari nodo duplici facta sufficit.
- 4.) Filum quamuis rupturae resistens, minus tamen crassum recipitur, quare fascia ex tribus filis tenuioribus composita & cerata optima est.
- 5.) Filum circiter pede est longum & ad vtrumque extremum nodo terminatur.
- 6.) Ligatura nimis non stringitur, ne funiculus scindatur, neque etiam nimis laxa est, ne sanguis effluat.
- 7.) Funiculi crassi ligatura validius stringitur, ne funiculo siccato filum ligans decidat.
- 8.) Pro funiculo sanguineo, qualis fere in partu praemature esse solet, e filo molliori latior



tior fascia, leuissime cerata, conficitur, ligatura minus stringitur, ne funiculus scindatur.

9.) Vt omni periculo obuiam eatur, supra primam ligaturam secundum filum laxius circumponitur, mox stringendum, si forte primum, funiculo ab ipso discisso, decidit.

§. 311.

Porro

1.) Deligatus funiculus inter vtramque ligaturam (§. pr. n. 1.), forcice obtusa, discinditur, ne cruribus forcicis acutis infantis membra mota laedantur.

2.) Dein, vt pateat, vtrum ligatura sufficienter stricta sit, extremum funiculi linteo detergitur, deterfum alii linteo mundo affricatur. Linteum hoc si sanguine humectatur, ligaturam minus strictam indicat: quodsi vero siccum manet, funiculus probe ligatus est.

3.) Cum primum funiculus ligatus est atque discissus, linteo molli & calefacto infans ab adstante recipitur, funiculi ligatura (n. pr.) examinatur, infans ipse mundatur, atque vniuersum ejus corpusculum exactiori examini subjicitur, vt cognoscatur, vtrum in omni-



bus suis partibus perfectum, an vero operatio quaedam instituenda sit.

4.) Fasciis dein infans involvitur, & fontanel-la tegitur. Funiculus vero nudo corpori non imponitur, sed funiculum inter & corpus linteum molle medium impedit, quo minus frigidus funiculus atque exsiccando induratus infantis corpusculum laedat.

5.) Linguae porro fraenulum soluitur, quod quidem indice digito vel, hoc non sufficiente, forcice, vel instrumento quodam peculiari perficitur.

6.) Quando funiculus nimis crassus, vel sanguineus, hæmorrhagiae metum facit, quavis secunda hora infantis fasciae semouentur, atque inquiritur, vtrum stricta adhucdum sit ligatura, an vero sanguis effluat. Quo quidem casu secundum filum stringitur, ne, hac cautela neglecta, periculosa hæmorrhagia oriatur.

7.) Si forte funiculus ad ipsum umbilicum ruptus fuit, cutis abdominis, ni dirissimos infanti cruciatus movere animus est, filo non constringitur, sed linteum carptum atque, hoc non sufficiente, styptica imponuntur.



§. 312.

De tempore, quo funiculus deligandus, atque placenta extrahenda, disceptantes autores in triplicem sententiam abeunt.

α) Alii jubent, ut placenta prius extrahatur, quam funiculus umbilicalis deligetur.

β) Alii post deligatum demum funiculum extractionem placentae praecipiunt.

γ) Inter hos medii sunt, qui ministrum eodem tempore funiculum deligare volunt, quo obstetricans placentam extrahit.

§. 313.

Quando foetus vel embryo mortuus est, mox post exclusum partum placenta extrahitur, quod funiculi deligatio penitus superflua est. Neque etiam desunt, qui infante debili nato funiculum prius non deligant atque discindunt, quam infans spiritum duxit, quoniam infans placentae & utero adhuc perpetuus citius reficitur, quam quidem ab istis solutus.

§. 314.

Caeterum quaevis methodus sua commoda habet & incommoda; secunda optima videtur.



- α) Impedit enim infans inter matris femora lecto incumbens, quo minus libere operetur obstetricans, imo ab eius brachio facillime detrimentum capit. Maius impedimentum est, si sellae infidens femina partum edidit, siquidem hoc casu obstetricantis gremio infans incumbit, atque a leuissimo eius motu in terram decidere potest.
- β) Quodsi forsan firmitus placenta adhaerens decorticanda est, infans diu nimis libero aëri expositus, atque ex solutis iam placentae vasis sanguinis copia priuatus detrimenti multum patitur.
- γ) Tantillum etiam est tempus, quod funiculi deligationi & discissioni impenditur, vt extractionem placentae contractio vterini orificii remorari nequeat. Nimis praecipitata orificii contractio, quae mox omnem manui transitum praeccludit (qualem MAURICEAV observ. 306. observauit) inter rario-  
ra est referenda, frequentio-  
rem consuetudinem non immutantia.
- δ) Monitum, vt eodem tempore minister funiculum deliget, quo operator placentam extrahit, speciem quidem habet, sed vterque alteri hac opera impedimento est.



## §. 315.

In partu facili sua sponte placenta vel leuiorem funiculi attractionem sequitur ut plurimum. Antequam vero funiculum medicus attrahat, prope inquirere debet, vtrum secundus foetus in vtero remanserit, ne, hoc praesente, placentam, cum secundi foetus placenta forsan cohaerentem, extrahat, atque foetui & matri lethifera haemorrhagia oriatur.

## §. 316.

Quapropter, semoto foetu, manum dextram obstetricans abdomini puerperae imponere, & in omni ambitu eandem circumferre debet. Quod si alicubi minus consueta & cum duritie tumens eminentia offertur, de secundo foetu suspicio fit. Si vero abdominis regio aequalis est, nec nisi mollior atque minus tumens resistentia occurrit, secundum foetum non designat, aut regionem cui placenta inhaeret.

## §. 317.

Minus caute res geruntur, si, missa hac indagine, funiculus statim attrahitur, atque ex resistentia inconsueta, funiculum retrahente, secundum foetum adesse inducitur. Quotiescun-



que enim gemellorum placentae seiunctae sunt, prioris placenta facile, caeteris paribus, sequitur; ex apertis vteri orificiis sanguis profluit ac, nisi Labores secundum foetum extemplo expellunt, pessima haemorrhagia oritur, quin imo connata gemellorum placenta hanc extractionem sequi, atque pessima partus species, qua placenta prima prodit, excitari potest. Nec resistentia illa gemellum remanentem semper denotat, quippe quae a plurimis causis oriri potest.

§. 318.

Neque etiam illud signum rectiori talo stat, quando dolorum continuatio alterum foetum indicare dicitur.

§. 319.

Quodsi vero secundus foetus non adest.

α) Circa manus sinistrae digitos voluitur funiculus.

β) Dextrae manus pollice & indice, ficci lin-  
tei ope, supra sinistram manum, prope va-  
ginam, funisprehenditur.

γ) Sinistra manu morando funiculus trahitur.

δ) Quodsi



- δ) Quodsi placenta sequitur, altiori loco funem; dextra manus prehendere, sinistraque attrahere continuat, donec placenta prodeat.
- ε) Simulac placenta apparet, ipsa a dextra manu arrepta moderate e vagina soluitur, sinistra manu, funiculum agitando, hancce solutionem adiuuante.
- ζ) Cum integra placenta iam est soluta, sinistra manu comprehensa velamenta lente etiam, moderateque sunt extrahenda. Hac moderatione incommoda, quae abruptas atque in vtero relictas velamentorum portuncululas insequuntur, optime praecauentur.

§. 320.

Cum primum dicta peracta sunt, puerperae cura habenda est. Quamobrem

- α) Linteo calefacto & molliori genitalia mox tegantur.
- β) Per femihoram in lectulo requiescere puerpera potest, interimque indusium mutare, cica caput inuoluere, jusculumque vel gelatinam animaleam solutam forbere.
- γ) Ipse lectus, in quo tranquillam puerperii requiem dein capere debet, ita a lochiorum



immunditiis intactum feruetur, vt superior mastruca panno cerato minus olente, vel pelle cervina nondum subacta tegatur, lodix linteumque quadruplicatum imponatur.

8) Primis diebus nonnisi potulenta forbeat, fomnoque, assumendis jusculis turbando, reficiatur.

9) Abdomen laxior fascia contineat.

10) Mammis linteum mollius tegat, missis emplastris atque vnguentis.

11) Transpirationem continuam, in sudorem minime euehendam, feruet.

12) Clysmate subinde expurgetur.

13) Puerperio finito lenius laxans colophonem addat.



P E R A R T V  
173

CAP. XIV.

DE IIS, QVAE IN PARTV DIF-  
FICILI PERAGENDA SVNT.

§. 321.

I<sup>o</sup>. Quodsi praemature, vel serius, foetus in lucem editur (208. 209.), ad peculiarem opem non est confugiendum, sed, lento gradu procedendo, successiuis laboribus inferuendum est, praeterquam quod parturiens inutilibus nixibus defatigetur. Natura etiam, quamuis id paulo tardius quandoque fiat, optime tamen negotium gerere solet. De abortu & mola infra verba fient.

§. 322.

II<sup>o</sup>. Quando superior peluis apertura nimis angusta est (§. 211.), in praeternaturalem mutari partus potest, quare peculiari capite, quae generalis lex erit, de eo inferius disse- retur. Cum de partu, ob ossis coccygis re- sistentiam difficili, sermo erit, sua sponte apertura inferior nimis arcta explicabitur. Peluis nimis ampla (l. c.) locum habebit, cum de vteri prolapsu disputabitur.

§. 323.



## §. 323.

III<sup>o</sup>. IV<sup>o</sup>. V<sup>o</sup>. VI<sup>o</sup>. VII<sup>o</sup>. Peculiariora capita  
sistent vteri situm obliquum; foetus minus  
conuenientem situm; minusque exactam  
proportionem. Plura membra simul oblata;  
placentae solutio suis etiam locis explicabun-  
tur (§. 212. sqq.).

## §. 324.

VIII<sup>o</sup>. Quoniam feminae iuniores & primipa-  
rae (§. 218. & 230.) conuulsionibus obno-  
xiae sunt, eae quam maxime venaesectio-  
nem, ab initio partus administratam (§. 256.),  
sibi commendatam habeant. Veros dolores  
solos nifibus iuuent, nulloque modo natu-  
rae opus praecipitare studeant.

## §. 325.

Neque etiam aetate prouectiores (§. 218.),  
paulo lentius partum edentes, festinatione at-  
que superfluis nixibus naturae vim inferre co-  
nentur. Partes forsan ficciores obstetricans  
oleosis demulceat.

## §. 326.

Pinguibus, macilentis, pusillis (§. 219. sq.),  
peculiare consilium non est.

## §. 327.



## §. 327.

Gibbae (§. 222.) non prius, quam summa necessitas vrget, sedili infideant (§. 258.). Sedili iis, ob erectam posituram, magis conuenit, quam quidem lectulus.

## §. 328.

Imbecilles (§. 223.) cardiacis gratioribus reficiantur, nunquam sedili infidentes partum edant, sed a primis mox doloribus veris in lecto decumbant, vel a feruiente robustiori in gremio contineantur (§. 297.).

## §. 329.

Magna cum moderatione res agantur, si situs vteri obliquus cum matris imbecillicitate iungitur: quo quidem casu, absque haesitatione, foetum si modo id fieri potest, pedibus extrahere eapropter conuenit, quod a naturae laboribus multum adiumenti sperare non licet.

## §. 330.

De conuulsionibus & sanguinis profluuio (§. 224. α.) inferius specialius differetur. Caeteri morbi (l. c. β. sqq.) partim iam ante partum sunt abigendi, partim suis remediis sub ipso partu demulcendi.

## §. 331.



## §. 331.

Animus parturientis indocilis & depressus hortationibus est erigendus, pertinacem vero vi refrænandum censeo.

## §. 332.

IX°. Dolorum tergiuersantium (§. 226.) causa abacta, mox efficaciores sequuntur. Rarissimus verorum remediorum pellentium usus fit, nec nisi cum, cunctis ad partum facilem conditionibus praesentibus, sola dolorum efficacia deest, casu certe imaginario magis, quam vero.

## §. 333.

Medicamina, quae pellant, superstitiosa stupidam plebem occupant, obstetricum ignorantiam velant. Infantibus prudentiores medici, artis obstetriciae minus periti, parturientem & amicos solantur, suae famae consulunt. Veris pellentibus, sanguinem ad vterum mouentibus, magna & medicastrorum, & tonso- rum & obstetricum turba pugnat, iis prorsus similis, qui incendium gladio extinguere furente ausu copantur.

## §. 334.



## §. 334.

X<sup>o</sup>. Morbi locales suis remediis expugnentur.  
Quomodo vteri & vaginae prolapsus (l.c.n<sup>o</sup> 2) tempore partus reprimendus fit, speciali capite exponetur.

## §. 335.

Hymen arctum nimis vaginamque angustans discindatur. Sua etiam methodo a perito opereatore vagina nimis in medio arcta dilatetur.

## §. 336.

XI<sup>o</sup>. Quando foetus mortuus est (§. 231.), nihil peculiare molitur obstetricans, nullis vtatur pellentibus, nullum difficiliorem partum metuat. Quomodo vero a viuo dignoscere possit, infra ediscat.

## §. 337.

XII<sup>o</sup>. Si partus diutius protrahitur (§. 232.), minime pro eo accelerando velamenta sunt dilaceranda (§. 290.), pellentia exhibenda (§. 333.), atque parturiens ad fortiores nixus edendos excitanda, sed impedimenta sunt remouenda & tutiora cardiaca parturienti exhibenda.

## §. 338.

XIII<sup>o</sup>. Morbi a partu orientes (§. 233.) sua methodo curentur.





## CAP. XV.

## SOLVTIO PLACENTAE.

## §. 339.

**P**lures esse rationes possunt, quae placentam in vtero retinent. Praecipua illarum est remota a fundo istius adhaesio (§. 54.), quo fit, vt a contractione vteri versus orificium non dirigatur. Illae enim, quibus adhaeret, fibrae nimis expansae sunt & debilitatae: quare reliquae, his maiori contractionis vi pollentes, circa easdem contrahuntur; atque tantum abest, vt placentae exclusionem iuuent, vt potius, circa eam coeuntes, eandem validius retineant, nisi mox, antequam vterus contrahitur, placenta solvatur.

## §. 340.

Quamuis etiam fundo placenta necetur, quandoque tamen fibrae necentes tanto robore pollent, vt solutioni, ab vteri contractione ortae, resistent.

## §. 341.

Ipsa placentae vasa, sanguine copioso turgida, placentam ita immobilem & rigidam reddunt,



dunt, vt ab vtero contracto comprimi & excludi nequeat.

§. 342.

Magna placentae moles, cum mobilitate coniuncta, non nisi remoram ad vteri orificium constrictum facit.

§. 343.

Ipsam etiam vteri orificium quandoque illico, post partum optimum, ita coarctatur, vt minor placenta retineatur.

§. 344.

Quodsi itaque, partu absoluto, leniorem funiculi attractionem placenta non sequitur, quin imo funiculus dirumpitur,

- α) Trahere desinat obstetricans.
- β) Sinistra manu funiculum leuiter tendat, dextram autem, funiculo duce, ad ipsam placentam in vterum ferat.
- γ) Quando sola placentae moles (§. 342.), & orificii vterini contractio (l. c. & 343.) solutae placentae exitum remoratur, placenta, retro orificium haerens, comprehensa educatur. Quo vero aptiusprehendatur, pollex



in ipsius medio, vbi funiculus intrat, reliqui vero digiti in circumferentia firmandi sunt.

## §. 345.

Hoc etiam casu quandoque sine manus immisione expellitur, si modo puerpera tuffit, pugnum inflat, vel nisus edit, quales in partu vsu veniunt.

## §. 346.

Quodsi vero placenta vtero adhuc adhaeret, praemissa manus (§. 344. n<sup>o</sup>. β.) introductione,

α) Eandem in omni placentae ambitu circumferre, atque in locum, vbi iam ex parte fortassis soluta est, inquirere conuenit: hoc reperto,

β) Dorsum manus versus vterum dirigi, palma vero ad placentam; inter partem solutam & vterum digiti successiue interiici, atque sic, eosdem vltorius promouendo, placenta eundem in modum solui debet, quo animali pellem deglubimus.

γ) Soluta modo (§. 344. n<sup>o</sup>. γ.) dicto educitur.



8) Si nullibi soluta est, membranae filamentosae circulum crassio-rem (§. 68.), quocun- que in loco id fiat perinde est, interpositio- ne digiti inter eundem & vterum resolvere atque modo (n<sup>o</sup>. β.) dicto procedere de- bet operator.

Cuncta tamen caute, cum moderatione, la- bore & patientia, absque vlla praecipitatio- ne peragantur, ne vlllo modo vtero vis in- feratur.

§. 347.

Quando vteri orificium vsque eo iam est concretum, vt digitis introitum deneget; pri- mum vnicus digitus in rimam penetret, atque circumactus istam ampliorem reddat, iungatur dein secundus, porro tertius & quartus, eadem penitus ratione, atque tandem intra digitos pollex abscondatur, sicque in conum formata manus cunei adinstar orificium diducat, atque placentam extrahat.

§. 348.

Sicubi forsan & vaginae orificium resistit, eadem encheiresis pro illo aperiendo adhi- betur.



§. 349.

Quodsi vero dictis (§. 347.) artificiis orificium, validissime iam constrictum, diduci nequit, violentia vel disruptione non debet aperi, sed cunctando res perfici. Solet enim accidere, vt ipsa placenta relicta, post incertum tempus, laboribus denuo excitatis, versus orificium deprimatur, illudque paulum aperiat. Hoc temporis momentum auide arripiendum, manusque demittenda in vterum est. Similis vero operatio bis terve repeti debet, si forte sub primo dolore manus nondum introduci potest. Quid? quandoque placenta relicta ab istis doloribus sua sponte expellitur, vel leuiorim saltem attractionem, retro orificium haerens, sequitur. Nec adeo infrequens est, secundo vel tertio die orificii vterini stricturam remittere.

§. 350.

Nolit autem putare obstetricans, cum duos tresue digitos intra vterum duxerit, atque placentam iis comprehenderit, se suo officio satisfecisse. Quum enim aliquot digitorum introitum vix inuenerunt, quomodo exhibit integra placenta? Haec potius violenter attracta dilace-



laceratur, & sola ea portio, quae prehensa est, extrahitur; reliqua vero, quae in vtero remanet, auxilium latum inutile reddit.

## §. 351.

Neque etiam illud auxilii genus negligendum est, quo in difficiliore placentae solutione aliquis sanguini vel ex vmbilicali funiculo, vel per vulnus placentae inflictum, effluxus conceditur. Ita enim nimia fibrarum rigiditas laxatur, nexus facilius soluitur, matricis orificium, vel si quis adest vteri sacculus, minori vi aperitur, quin imo ipsa placentae moles & robur, quo vtero contracto resistit, minuitur.

## §. 352.

Quando extra fundum placenta vtero adhaeret, vteri substantia circa placentam saepius ita contrahitur (§. 340.), vt illam penitus ambiat, atque in peculiari quasi cellula vel cornu recondat.

## §. 353.

Eiusmodi cellula successiua digitorum introductione, (§. 347.) descripta, aperienda est. Digitum vero indicem, qui primus de-



mitti debet, funiculus umbilicalis deducit, si-  
quidem adhucdum adest, sin minus, cellulæ  
apertura quaerenda est.

## §. 354.

Siquando funiculus umbilicalis disruptus  
fuerit, ductor deest, qui manum demittendam  
dirigat, quare eodem tempore, quo dextra in  
vterum defertur, sinistra manus abdomen puer-  
peræ leniter comprimat, vt placentæ per te-  
gumenta eminentis situm determinet. Prius  
etiam, quam operatio perfecta est, non au-  
ferri, sed leni pressione placentam & vterum  
figere debet, ne hic a dextræ actione com-  
motus placentæ solutionem difficiliorem reddat.

## §. 355.

Sibi caueat aperator, ne vteri partem, quam  
pro placenta forsan habet, contrectando nimis  
laedat. Vasa maiora placentæ superficiem di-  
stinguentia, frustulumque funiculi forsan resi-  
duum eandem ab vtero aequali & molliori di-  
scernunt.

## §. 356.

Methodus descripta maximopere præstat  
illa, qua violenta funiculi attractione placenta  
auulsa



auulsa educitur. Non solum enim, faustiori etiam omine, disrupto funiculo irrita est, sed &, si succedit, plurima mala creat.

§. 357.

Sunt autem ista mala sequentia.

- α) Fundus vteri in partem interiorē tractus, atque a leuissimo quandoque matris nisu extra orificium pressus, vterum inuersum fistit: quin imo fundus nonnunquam hanc extractionem illico sequitur.
- β) Ob inaequalem vteri contractionem diu dolorum post partum cruciatus oriuntur.
- γ) In aliis orificia vterinorum vasorum dilacerantur, haemorrhagia vterina excitatur, dilacerata orificia coalescunt, & menstrua dolorosa insequuntur.
- δ) Si forte dilaceratae placentae frustum remanet, sanguis continue effluit, cum istud frustum vel ex parte, vel totum solutum fuerit.
- ε) Quodsi vero firmitus istud frustum cum vtero cohaereat, maiorisque molis sit, sanguis congestus vterum inflammat.



§. 358.

Suadendum potius est, si attracta placenta non sequatur citissime, vt manus sine vlla mora in vterum demittatur, ne matricis orificium, dum inutili conamine tempus teritur, praecludatur, & propter inaequalem vteri contractionem placenta in carcere detineatur.

§. 359.

Non solum vanus est metus malorum, quae manus in vtero haerens producere putatur, sed plurima etiam exinde enascuntur commoda. Ita enim,

- a) Certissime cognoscitur, vtrum foetus alter in vtero residuus sit, vel mola, vel aliud quodcunque, an minus.
- β) Mater a cruciatibus, quos funiculi irrita attractio mouet, immunis manet.
- γ) Negotium cito peragitur.
- δ) Descriptaque mala (357. 358.) certissime euitantur.

§. 360.

Quamobrem etiam, praeter vllam funiculi attractionem, manum continuo in vterum demittere vtile est, quoties situs vteri obliquus



de placenta extra fundum haerente suspicio-  
nem mouet (§. 340.); quoties abortus editus  
fuit; quotiesque foetus & funiculus putridus  
iam est. Hisce enim in casibus placenta ne-  
xus non solum firmior esse solet, sed & funi-  
culus facillime abrumpi.

## §. 361.

Neque etiam commendanda, quin imo re-  
formidanda potius, sunt varia remediorum ge-  
nera, pellentia puta, clysmata, suppositoria,  
injectionesque acriores, vomitoria, purgantia,  
sternutatoria similiaque.

α) Siquidem superflua est ipsorum actio, si pla-  
centa soluta pone orificium haeret (§. 344.).

β) Noxia est, quoties propter firmiorem ne-  
xum placenta ab yteri contractione solui ne-  
quit. Non solum enim nexum hunc non  
dissoluunt, sed & sanguinem in vtero conge-  
runt, qui vero, quoniam propter foetum  
sublatum non potest absumi, accumulatur,  
vterus inflammatur, febris acuta accenditur,  
mors arcessitur.

γ) Sin, placenta ex parte soluta, sanguini af-  
fluenti exitus patet, citius cum latice rubro  
vita puerpera priuatur.



§. 362.

Illam etiam methodum probari nequit, qua digito manus in vterum demissae placenta perforatur, eodemque in vncii formam flexo violenta perforatione laesa. quandoque matrix inflammatur, cunctaque descripta (§. 357.) mala accedunt.

§. 363.

Quoties propter operationem minus partem placentae portio intra matricem relicta haeret (§. 357. & 362.), descriptaque incommoda exinde enascuntur, protinus ista portio extrahi debet, ut vel sua sponte incommoda cessare, vel debitis remediis abigi possint.

§. 364.

Quoties vero nihil mali propter istam placentae portionem puerpera patitur, atque facili opera eadem extrahi nequit, praeter necessitatem operationibus defatigari non debet, sed minus malum eligi & soli naturae negotium committi potest, quae istam portionem, vel cum lochiis integram, vel in pus foetidum resolutam, non sine doloribus, expellet.

§. 365.



## §. 365.

Simulatque placenta soluta est, vteri curam habere operator debet. Quare protinus manum in vterum eo fine reponit, vt quidquid peregrini ibidem remanserit euacuet, velamenta, placentae particulam, sanguinem congelatum. Hac ratione aequaliter, praeterque omne impedimentum, vterus contrahitur, atque ab omnis stimuli prouocatione liber est. Optime itaque sanguinis fluxus, inflammatio, dolorque post partum praeoccupatur.

## §. 366.

Quo melius vero haecce perficiantur, manum in omni vteri ambitu circumducit, cunctaque euacuanda comprehendit: eandem dein, in pugnum contractam, ibidem relinquit, donec aequali ratione vterus circa eam fuerit contractus. Vtero contracto successiue eandem retrahit, secumque fert euacuanda.

## §. 367.

Quando vterus obliquus est, in rectum situm eundem reducit, in quamcunque etiam partem diuergat.



## §. 368.

Si vna vteri pars prae altera contrahitur, reprimit istam rugasque complanat, atque vtero demum aequaliter contracto manum extrahit.

## §. 369.

Similem operationem in vagina perficit, prolapsumque vteri, si adest, reponit, ipsamque vaginam rite euacuat.

## §. 370.

Quodsi peiori omine, vterus post partum nolit contrahi, superfluum est manum in illo remanere; sed quietam relinquere matrem, malumque suis remediis expugnare conuenit.

## §. 371.

Quotiescunque placentae vel velamentorum particula, sanguisque congelatus, in vtero relictus, in putridum inquinamentum resoluuntur, naturae opera mundificantium iniectionibus subleuari debet, vt eo melius recrementum excernatur, vterusque a putredine vindicetur.

## §. 372.

Huic quidem scopo siphon de industria fabricatus, fistula sua in ipsum vterum deferendus, inferuit. Syrix, quae solam vaginam eluit, minus apta est.



CAP. XVI.  
SIGNA FOETVS VIVI ET  
MORTVI.

§. 373.

**F**oetus vita a morte duplici tempore ab obstetricante distingui debet, ex diuersis penitus signis.

- a) Ipso grauiditatis tempore, ante partum.
- β) Sub ipsum partum.

§. 374.

Ante partum certissimum vitae foetus signum praebet motus eiusdem sub medium quasi grauiditatis terminum incipiens, quotidieque auctus (§. 146.).

§. 375.

Quoniam autem grauidis plures alii abdominis motus saepius illudunt, perceptum in abdomine motum ab infante excitari sequenti examine determinare medicus potest.

- a) Matutino maxime tempore crebrior & valentior foetus agitatio esse solet, quare tunc  
tempo-



temporis , grauida adhucdum in lecto requiescente, examen instituatur.

- β) Ipsa grauida supina cubet , capite & pedibus eleuatis, calcibus ad nates retractis.
- γ) Manum frigidam, vel aqua frigida madidam, nudae abdominis cuti expansam medicus imponat, spatio inter vmbilicum & os pubis medio.
- δ) Quodsi, abdomine leniter compresso, percussione in partem exteriorem factam percipit, de vita infantis non debet dubitare.
- ε) Hanc operationem prima vice irritam aliquoties repetat, donec foetus allisionem percipiat.
- ζ) Quodsi vero, post repetitum examen, semper immotum abdomen manet, de vita foetus fere desperandum est.

§. 376.

Vt hoc signum maius robur nanciscatur, alia etiam, quae a foetus incremento pendent, iungi debent. Viuus enim foetus quotidie vna cum vtero crescit; quare abdomen magis expanditur, tumet atque resistit, ad scrobiculum cordis ascendit, hypochondria tendit, vmbili-



ci foueolam delet, versus corporis superficiem protrudit.

§. 377.

Cum primum vero foetus emortuus est, non amplius crescit; quare abdomen etiam ulterius non expanditur. Foetus potius contrahitur, grauior fit, vna cum vtero subsidet; quapropter & abdominis tumor decrescit, descendit, in peluis aperturam superiorem nititur, umbilicum & hypochondria ita liberat, vt umbilici fovea rursus appareat & regio hypochondriorum laxior fiat. Intestino etiam recto atque vesica compressa tenesmus & vrinæ incontinentia vel retentio succedit. Quod si etiam grauida veloci motu ex vno latere in alterum deuoluitur, graue foetus pondus hunc motum sequitur.

§. 278.

Reliqua copiose laudata signa incertiora sunt, quin imo fabulosa. Ita facies plumbea, oculorum lior & depressio, cordis palpitatio, spiritus difficilis & foetens, capitis dolor, oculorum caligo, aurium tinnitus, febris lenta, animi deliquia, similiaque panico metu ab infantis morte timentur.

§. 379.



§. 379.

Haecce enim incommoda non prius matrem affligunt, quam cum putridas iam foetus moras intra vterum nectat. Tunc demum foetus putrescit, quando velamentorum dilaceratio liberum aëri in vterum aditum pandit: quae vero dilaceratio cum rarissime ante instantem partum contingat, rarissime etiam putridus foetus diu intra vterum commoratur.

§. 380.

Abdominis frigus, mammaram collapsus & emollitio, feri e mammis lactei copiosior effluxio, abdomen strictum denotant corporis emortui domicilium, sublatumque sanguinis in ouum influxum: quare superioribus (§. 344.) iuncta haec signa foetus mortem confirmant.

§. 381.

Sub ipsum partum differens pro differente parte oblata ratio est ineunda. Difficillima est cognitio, si caput praeuium in cavitatem peluis depactum haeret. In partu quidem facili ista cognitio superflua, in difficiliore vero aliquoties utilis est.

§. 382.



## §. 382.

Si foetus iam ante ingressum in peluim mortuus fuit, caput depactum, in tumorem minus eleuatum, foetus mortui signum praebet. Vivo enim foetui si caput comprimitur, nunquam non sanguis copiosior affluens, restagnans & in telam cellulosam effusus, capitis tumorem eleuat. Tumor itaque deficiens circuli sanguinis absentiam mortemque denotat.

## §. 383.

Neque tamen tumoris praesentia vitae indicium est subsistentis. Vivo foetui ab initio partus quandoque caput tumet, a compressione dein foetus moritur, tumorque remanet.

## §. 384.

Putredo iam incepit, atque temporis longius interuallum a morte praeterlapsum est, quando epidermis post leuiorem contrectationem a cute secedit. Quare haecce secessio spontanea, ni violentia tactus praecesserit, foetum mortuum indicat. Interim tamen viuis non ideo statim est praedicandus, cui epidermis firma haeret.



## §. 385.

Putrido foetu, placenta, meconio, lymphatico liquore, liquidum putridum e genitalibus effluit: quod ergo hic effluxus foetum mortuum, imo putridum designet, minime est dubitandum. Meconium vero profluens foetum facie ad os pubis versum, minime autem mortuum indicare potest.

## §. 306.

Liquidum putridum a dissoluto meconio, odore nauseose foetente, cadaueroso optime distinguitur; a crassiori vero ipsa insuper consistencia tenuiori dignoscitur.

## §. 387.

Funis umbilicalis ante caput propendens, pulsu destitutus, frigidus, foetus emortui nuncius est.

## §. 388.

Foetus tranquillus, fontanella pulsu carens, cerebrum quidem compressum, foetum autem mortuum esse non demonstrant. Certissime contra vivit foetus, si fontanellae pulsus percipitur.



Idem, quod de capite, iudicium fit, si alia pars corpusculi orificium vteri ita obturavit, ut manus via in vterum penitus sit praeclusa.

§. 390.

Quum vero manus transitus in vterum conceditur, foetum mortuum esse certissime patet, si funiculi & fontanellae pulsus deest, immobiles sunt lingua, pedum & manuum digiti laceffiti, parsque prolapsa non intumescit.

§. 391.

Foetus etiam probabiliter mortuus est censendus, si causa necans nota fuerit. In partu vero foetum interficiunt,

- a) Larga vteri haemorrhagia.
- β) Collum diutius a fune umbilicali constrictum.
- γ) Collum praeuium & incuruatum.
- δ) Caput obliquum & per longam temporis moram ad os impulsum.
- ε) Caput in peluim angustam diutius depactum.
- ζ) Collum ab vteri vel vaginae orificio constrictum.



- η) Funiculus vmbilicalis ante caput propendens & compressus.
- θ) Idem disruptus.
- ι) Idem inter caput & ossa peluis diutius compressus, cum foetus pedibus extrahitur.
- κ) Caput a corpore auulsum.
- λ) Plerorumque instrumentorum violenta applicatio.

## §. 392.

Ante partum foetum occidunt,

- α) Matris morbus acutus violentior.
- β) Eiusdem ira & terror inopinatus & vehemens.
- γ) Externa violentia.
- δ) Morbosa placentae constitutio sufficientem alimenti copiam non deferens.
- ε) Morbosus matris habitus foetum alimento priuans.





## CAP. XVII.

PARTVS DIFFICILIS ET PRAE-  
TERNATVRALIS PROPTER  
CAPVT PRAEVIVM.

§. 393.

**C**aput primum decidens, atque ad peluim  
relatum, frequentissime partum difficiliorem  
reddit, quin imo non nisi arte absoluendum,  
propter suam molem, morbum, fitum, alias  
corpufculi partes male vel fitas, vel confor-  
matas, os vteri, vaginam, peluim, quin imo  
propter placentam atque funiculum vmbili-  
calem.





## SECTIO I.

### PARTVS DIFFICILIS ET PRAE- TERNATVRALIS OB CAPI- TIS MOLEM.

§. 394.

Quamuis cuncta reliqua optime sese habeant, vterusque cum capite axin peluis sequatur, capitis moles capacitatem peluis nimis excedens partum vitiosum reddit.

§. 395.

Capitis moles peluis capacitatem triplici potissimum modo superare potest.

I<sup>o</sup>) Si peluis bene quidem conformata est, debitamque suarum partium proportionem seruat, cum reliquo vero matris corpore comparata minor deprehenditur, ipseque foetus matris proportionem habet.



II<sup>o</sup>) Si caput recte proportionatum est, peluis autem coniugatae peccant.

III<sup>o</sup>) Si peluis debita gaudet & conformatione & proportione, caput vero iusto maius est.

§. 396.

Caput nimis magnum est

α) Ob integrum corpusculum debitam magnitudinis rationem excedens.

β) Monstrose.

γ) Propter hydropem.

§. 397.

Eadem vero partus est ratio, siue peluis id vitium sit, siue capitis. Temere creaturarum miranda proportio, pro hac partus specie neganda, allegatur: illam quandoque a solitis regulis aberrare docent monstra, partes superfluae, deficientes, orificia connata, nimis hiantia. Et quid non hydrocephalus atque peluis vitiose compressa (§. 11.) efficiunt?

§. 398.

Ab initio quidem hic partus penitus facilis videtur, nisi quod tumor ventris non adeo, ac solet, subsidet, neque orificium vteri de-



scendit: os vteri axin peluis sequitur, in superiori peluis apertura haeret, detergetur, sensimque ita diducitur, vt peluis fere amplitudine hiet. Vesica etiam protruditur, a dolorum vi in globum expansa, tandemque dirumpitur.

§. 399.

Cum primum vero vesica disrupta est, dextra cum sinistris auspiciis commutantur. Dolorum vis, quae in partu facili capiti in vaginam deprimendo sufficit, hic nihil valet, siquidem, vehementissimi licet atque frequentissimi dolores accedant, nihil partus promouetur, sed caput subsistit, intra peluis ossa firmissime defigitur, veram paragomphosin sistit, peluis vniuersum marginem contingit, cum eodem perpetuum corpus apparet.

§. 400.

Comprimitur itaque caput, contusionem patitur, tumor durus, si foetus viuit (§. 382.), protuberat. Contusionem etiam patitur vteri orificium, vagina atque vrethra, tument hae partes, quin imo inflammantur, & ad genitalia vsque externa illarum tumor



mor continuatur: quapropter parturientis pulsus celer fit, fortis, plenus, durus.

§. 401.

Faustissimus euentus est, si laborum vehementia capitis resistantiam tandem superat, idem comprimit, acaminat, expellit; ita vt leuior solum genitalium & foetus contusio remaneat, facili opera discutienda. In hydrocephalo quidem externo istud vt plurimum euenire solet.

§. 402.

Naturalis quidem est partus, sed maxime funestus, in quo dolorum momentum capitis resistantiam licet superet, a diuturna tamen pressione genitalia ita inflammantur &, propter violentam capitis propulsionem, vrethra atque perinaeum, cum diro cruciatu, ita dilacerantur, vt vrinae & scybalorum incontinentia residua maneat.

§. 403.

Naturae auxilium nullum est, quando capite subsistente partus nihil promouetur. Non intermittens potius pressio vires parturientis frangit, genitalia gangraena foedat, capitis dolorem, praecordiorum angustias, faucium ar-



dorem, neruorum distentiones, musculorum conuulsiones, ipsamque mortem arcessit.

§. 404.

Vt autem mater impune ex istis periculis euadat (§. 401.) praesens sit oportet.

- a) Capitis moles non maior, quam quae a dolorum vi in figuram oblongam conuerti possit, per peluim meabilem.
- β) Situs vteri & capitis ne tantillum quidem ex peluis axi deuius, vt ne duplex impedimentum oriatur.
- γ) Laborum quidem efficacia & frequentia ad caput in tempore exprimendum sufficiens, minime autem praecipitata, vtpote quae partes nondum dilatatas, perinaeum maxime, dilacerat.

§. 405.

Peior huius partus species (§. 402.) oritur, si

- a) Maior (ac §. pr.) capitis moles.
- β) Non nisi post longum temporis interuallum caput compressum acuminatur.
- γ) Dolores nimis vehementes & frequentes vrgent.
- δ) Symptomata (§. 400.) descripta accedunt, atque
- ε) Vno impetu caput expellitur.



## §. 406.

Naturae auxilium nullum est (§. 403.), si maximum dolorum momentum maximam capitis molem vsque eo comprimere nequit, vt apertura superiori minor fiat: quamobrem vehemens ista dolorum vis vterum & vaginam validissime inter caput & peluim compingit, atque symptomata (l. c.) dicta excitat.

## §. 407.

Quodsi itaque capitis lentior progressus obseruatur, & leuior genitalium tumor in veram inflammationem, quam pulsus portendit, nondum mutatur, faustissimum euentum (§. 401.) sperare medicus potest, atque negotium naturae committere.

## §. 408.

Venaefectione interim, quam repetere quandoque conuenit, ab inflammatione parturientem vindicare debet. Diluentia etiam parturiens forbeat, debiliores nixus edat, vt opus suum natura lento gradu eo melius perficere queat. A frequentiori etiam exploratione & vana obstetricum opera partes vltterius irritari non debent.



## §. 409.

Cum primum caput superiorem pelvis aperturam superavit, inferior, ut eo amplior capiti porta pandatur, ex artificii infra (§. 492.) describendis, maior fiat.

## §. 410.

Quoties hydrocephalus externus caput in nimiam molem expandit, prouti quidem ex tumore molliori & ante caput fluctuante cognoscitur; artificiali capitis compressione partus multum iuvari potest.

## §. 411.

Postquam itaque vteri orificium penitus apertum est, forcipis, apte comprimentis, ope caput extrahi potest.

## §. 412.

Quamdiu etiam peiora inflammationis signa neque angunt, neque capitis moles incuneationem veram efficit, neque dolores valent, neque orificio aperto caput promouetur, tuto forcipe caput compressum educitur.

## §. 413.

Sicubi vero grauioris inflammationis periculum ex genitalium tumore & pulsu cognoscitur,



scitur, quin imo insigne temporis spatium a partus initio iam fuit elapsum, ab arte grauiori vnige proficuum auxilium est repetendum.

§. 414.

In omni quidem partus specie noxia sunt pellentia, ast in hac nominatim angue & cane peiora sunt. Emollientibus opera luditur. Sola, mali causam tollentia, instrumenta matrem feruant.

§. 415.

Quoniam vero haecce causa nimis excedens capitis volumen est, instrumenta ista hoc ipsum volumen imminuant necesse est.

§. 416.

Forcipum genus quodcunque solum adhibitum id minime praestat: Siquidem

- a) Actio huius instrumentorum generis sola compressione perficitur, quam irritam esse patet, quod dolorum vis maxima illam vsque eo praestare non potuit, vt per peluim meabile caput redditum fuerit.
- β) Corpora ad certum tantummodo gradum comprimi posse, docet eorundem impenetrabilitas.



- γ) Difficillima, quin impossibilis forcipum, propter caput ad ossa peluis firmissime appressum, applicatio est.
- δ) Violenter deiectae forcipes vaginam vulnerant, caput trahentes eandem vna cum vrethra & perinaeo dilacerant, copiosasque strages edant.
- ε) Quae in contrarium afferuntur obseruationes, felici cum successu absolutae, de capite vel inique sito, vel vterius adhuc comprimendo, vel vtero obliquo, intelligendae sunt.

## §. 417.

Vnci ita firmati, vt per vulnus, ab ipsis inflictum, prouti fieri solet, cerebrum parce, vel penitus non effluat, meliora non praestant. Quodsi vero apertura ab illis facta cerebrum transmittit, vacuum quidem fit, in quod cranium comprimi, atque causa mali tolli potest; nihilominus tamen scopum, quoniam difficillima, si modo possibilis, eorum applicatio est, parum adimplent. Minus etiam firmi si inhaerent, facillime extrahuntur, atque parturientem laedunt.



## §. 418.

Vt itaque cunctis his periculis obuiam eamus, perforatorio quodam cranium aperiri debet, quale esse potest forfex quaedam maior vulgaris, forfex *Bingiana*, scalpellum, scalpellum *Bistoury* dictum, perforatorium *Maurisseau*, *Mesnardi*, *Ouldi*, *Simpsoni*, *Fridii*; e quibus *Ouldianum* & *Fridianum* praeferenda videntur, quoniam thecis inclusa partes vicinas laedere nequeunt.

## §. 419.

Ne vlla matri violentia inferatur, sequenti ratione perforatorium demittitur.

- a) Sinistrae manus index ad medium verticis oblatus firmatur.
- β) Huius digiti ductu perforatorium ad verticem fertur atque, ne partes ambientes laedantur, caute dirigitur.
- γ) Ad verticem rite firmatum in cranium iniicitur.
- δ) Iniectum hinc inde eo fine mouetur, ut apertura dilatetur.
- ε) Sinister vero index vbiuis instrumentum committatur.



## §. 420.

Quo minus apertura, officulis cranii mox ad se inuicem pressis, rursus claudatur, impediendum est; quare digito, si quidem id fieri potest, cranii officula ita imprimuntur, vt foramen late hians aperiatur. Si hac ratione negotium non succedit, ferrae ope frustula excinduntur.

## §. 421.

His ita peractis cranium, a doloribus compressum, per inflictum foramen, cerebrum exprimit, ipsumque sequitur.

## §. 422.

Quodsi vero dolores penitus cessauerint, capiti nullus motus communicatur, quare ars, per gradus aucta, accedat oportet.

- a) Primo itaque periculum fiat, an caput, prehensio cranio, attractum comprimi cerebrumque effundi possit.
- β) Hoc artificio irrito cochleari cerebrum exprimitur.
- γ) Quodsi nondum caput sequatur, forceps demissa foetum extrahat.

## §. 423.

Reliquis vero forcipum generibus *Chamberleianam* correctam dictam praestare censeo, quamuis nec ipsa omnibus modis absoluta sit.

## §. 424.



## §. 424.

Quo autem rite firmetur,

- α) Duce indice sinistro brachium vnum post alterum separatim demittitur.
- β) Quoduis ad cranii regionem temporalem locatur.
- γ) In medio brachia junguntur, filoque crassiori connectuntur.
- δ) Foetus, forcipe comprehensa, extrahitur.

## §. 425.

Hisce quidem artificiis foetus, nisi jam emortuus est, necatur: praestat autem, arbitrator, illum solum, quam vna cum matre perire.

## §. 426.

Nollem, cerebro effuso, incertos vncos injicere. Ingeniose quidem & eleganter excogitatus est *Mauriceaui* extractor, *Tire-tete* ab ipso dictus, sed nihil valet, si debile cranii ossiculum abrumpit. *Burtonianus* eodem incommodo premitur. Fasciarum vsus minori opera suadet, ac ad praxin applicatur.





## CAP. XVII.

### SECT. II.

## PARTVS DIFFICILIS ET PRAE- TERNATVRALIS OB SITVM VTERI OBLIQVVM.

#### §. 427.

Quando vteri axis longitudinalis cum peluis axi minus conuenit, *Vterus oblique situs* dicitur.

#### §. 428.

Partus ex hoc situ difficilis vel praeternaturalis eapropter oritur, quod foetus capiti, in eodem axi haerenti, & ad peluim presso, obstaculum insolens occurrit.

#### §. 429.

A prima conformatione, vitio genitalium, placentae nexu in loco ab vteri fundo diuerso, iste situs potissimum oritur.

#### §. 430.

Primam conformationem vterum ex peluis axi in aliam plagam dimouere docent obseruationes

tiones



tiones vterorum eiusmodi in puellis junioribus visorum.

§. 431.

Varia genitalium vitia vterum, ob grauiditatem praecipue expansum, ex axi peluis depellunt. Eiusmodi vitia sunt vterus nimis alte ita locatus, vt situm eius ipsa peluis cauitas dirigere nequeat; peluis figura vitiata; vteri scirrhus, cicatrix, sarcoma aliaque.

§. 432.

Placentae extra fundum adhaesio efficit, vt maxima sanguinis vis in eam vteri partem influat, cui placenta adhaeret, istam maxime dilatet, cruoreque repleat; quapropter ibidem etiam praecipua, quam foetus cum secundis occupat, cauitas formatur. Horum adeo pondus vterum, supra peluim ascendentem, in illam, cui placenta necitur, partem deprimit.

§. 433.

Quodsi ista vteri ex axi aberratio insignior est, pars vteri aberrans peluis margini ita incumbit vt, ista ora hypomochlii vice fungente, vterus vectem referat, cuius maius brachium trans peluis marginem locatum est, mi-



nus autem vaginam respicit: quare isto descen-  
dente hoc ascendit, euenitque vt matricis ex-  
tremitas in vaginam propendens, orificium di-  
cta (§. 35.), altiorem solito in vagina locum  
occupet atque, propter arcum descriptum, ad  
os oppositum propius accedat.

## §. 434.

Quamuis autem iste, cui placenta adhaeret,  
uteri paries maximum incrementum capiat, ni-  
hilominus tamen prae reliquis illud augmentum  
fundus, oblique sursum tendens, sequitur.  
Mense etiam sexto vel septimo absoluto, cum  
uterus iam in sphaeram mutatus est, propter  
maiores fundi atque parietis, cui placenta ad-  
haeret, expansionem, istae fibrae, quae a  
placenta per fundum ad orificium decurrunt,  
magis, ac reliquae, in rectitudinem ita ten-  
duntur, vt debiliores fiant: quare a grauissima  
uteri parte, quae placentam gerit, fundi fi-  
brae ita trahuntur, vt hae vicissim vicinas,  
placentae oppositas, inde vltius distantes,  
tandemque illas, quae parietem orificii superio-  
rem constituunt, adducant. Euenit inde, vt  
sub vltimum grauiditatis terminum, cum duo  
orificii labia iam distincta sunt, superius maxi-



me sursum & in oppositam partem trahatur. Sub ipsum partus tempus tractio ista inaequalis multo magis apparet.

§. 435.

Interim foetus suas, prouti in vtero recto, mutationes ita patitur, vt capite successiue magis descendat (§. 85.). Ratio etiam liquoris amnii tandem multum decrescens efficit, vt matricis partem inferiorem caput fere totum repleat, atque supra planum inclinatum vteri obliqui descendat. Verticem ergo capitis orificio vteri opponi atque in peluis marginem niti (§. 433.) necesse est. Ita quidem in axi vteri foetus haeret, situmque ad vterum naturalem habet, a peluis autem axi deuius est.

§. 436.

Eadem vteri obliqua directio sub ipsum partum alium ludum praebet, quam quidem recta; in primis autem *dolores* illos excitat, quos *spurios* vocant.

§. 437.

Contentorum vteri pondus, segmentum inferius comprimens, partus dolores excitat (§. 96.). Idem accidit, quando vterus obli-



que situs est. Quoniam autem neque vteri directio axin peluis sequitur, neque minima vteri resistentia, momentum contractionis versus istum axin agere nequit, sed in locum minime resistentem, qui vteri pars est inter pelvim & foetus partem praeuiam compressa, impenditur. Reliqua autem segmenti inferioris portio, quae a parte foetus praeuia neque comprimitur, neque attenuatur, maiori vi versus centrum orificii constringitur, atque tantum abest, vt orificii aperturam adiuuet, vt potius, orificium vltius claudendo, impediat. Patet itaque, quod ab eiusmodi vteri contractione orificium neque aperiatur, neque vterus in vaginam deprimatur, sed ipsa orificii apertura arctetur. Quae vero actio, quod dolor spurius vocatur, eadem de dolore spurio valeant necesse est.

§. 438.

Dolor itaque spurius cognoscitur.

α) Quando neque plena liquoris lymphatici vesica, neque caput, neque aliud quodcunque in vtero contentum digito exploranti apprimitur.

β) Quando vteri orificium non solum non aperitur & diducitur, sed potius constringitur.

γ)



γ) Quando in vaginam vterus non descendit, sed orificium sursum trahitur.

§. 439.

Ipse etiam spurii doloris sensus ab illo differt, quem verus excitat. In regione enim lumbari veri cruciatus incipit, atque versus pudenda descendit. Spurii cruciatus vsque eo non progreditur, sed circa superioris, quam peluis habet, aperturae ambitum vagatur.

§. 440.

Sensus iste vehementior etiam est scindensque magis, propter inaequalem vteri contractionem, qua alter orificii vterini margo tota fere vi constringitur, alter vero comprimitur, omnisque fibrarum actio in marginem debilio-rem tendit.

§. 441.

Differentes obliquitatis vteri gradus obseruantur, ita vt cranii pars maior minorue vaginam respiciat, differensque dolorum superiorum euentus enascatur.

§. 442.

Quando continuatus vteri axis intra vaginam adhuc cadit, maiorque, quam dimidia,



cranii portio vaginam respicit, dolores sparii sensim in veros mutantur. Successiua enim vteri contractio, caput ossi apprimens, maiorem sensim marginis partem attenuat, quare reliqua debilitata minus ita resistit, vt tandem a corporis vterini contractione resistentia superetur, margo attenuetur, caput deprimatur, dolores veri oriantur, partus promoueatur & absoluetur.

§. 443.

Quodsi vero axis supra superiorem peluis marginem continuatur, minorque, quam dimidia, cranii portio vaginam respicit, vtero contracto caput successiue vltius supra peluim pellitur, vteri orificium magis constringitur, partusque ex naturae ope nullo modo perficitur.

§. 444.

Duplex huius mali euentus obseruatur.

I<sup>o</sup>) Actionis vteri aequilibrium restituitur, dolores penitus cessant, a capitis pondere vterus comprimatur, inflammatur, vna cum matre emoritur; vel in pus vna cum corporis integumentis resoluitur, foetusque per abscessum exitum molitur.

II<sup>o</sup>)



II°) Quoties dolorum vis non remittit, vtero caput apprimitur, huius substantia attenuatur, tandemque dirumpitur.

§. 445.

Quando vteri axis exacte in oram peluis superiorem ita dirigitur, vt dimidia orificii portio tangatur, atque caput aequali ratione citra & vltra oram haereat, in eodem statu res persistunt, neque sursum, neque deorsum caput mouetur, tandemque dolores penitus cessant.

§. 446.

Huius autem situs triplex esse euentus potest.

I°) Vterus inter cranium & peluim compressus inflammatur, & vna cum matre emoritur.

II°) Si versus vaginam tantillum vteri axis dimouetur, partus (§. 442.) descriptus oritur.

III°) Si idem axis tantillum vltra peluis oram superiorem progreditur, partus species (§. 443. & 444.) dicta insequitur.

§. 447.

Cum propriis autem doloribus spuriiis intestinorum *Tormina* non debent confundi. Quo-



niam vterus grauidus intestina comprimit, idque inaequali ratione, si obliquum situm obtinuerit, scybala & aër per intestina libere meare nequeunt, sed horum tunicas distendunt, ad inaequalem contractionem proritant, & lancinantes cruciatus mouent, dolores ad partum spurios mentientes.

## §. 448.

Perito autem facilis est distinctio. Nullam enim in vteri corpore & orificio mutationem faciunt, ipsum vteri corpus non afficientes.

Quare

α) Eo tempore, quo parturientem misere diuexant, manus abdomini imposita vterum mollem & laxum tangit, qui a dolore ad partum contractus, tensus, strictus atque lapidis ad instar durus resistit.

β) Modo haec tormina pertinaciter eundem locum occupant, modo hinc inde in abdomine circumuagantur.

γ) Pulsus ab illis non mutatur.

δ) Facies non rubet,

ε) Neque ad nixus edendos parturiens lacescit.



§. 449.  
Ab humorum intestinalium acrimonia & colluie nonnunquam ortum trahentia ista tormina, suae originis causam ex diarrhoea coniuncta manifestam reddunt.

## §. 450.

Sua methodo, ex pathologia cognoscenda, haecce tormina mitigari & penitus abigi debent.

## §. 451.

Varias etiam vteri partes in consensum trahere possunt, ita vt mox, orificio contracto, dolor spurius oriatur, mox, fundo conuulso, verus ad partum succedat. Hoc quidem modo tormina, dolores spurii & veri alternis vicibus se inuicem excipientes, suo iure *Dolores mixti*, vel *aequiuoci* vocantur.

## §. 452.

Quando haecce tormina ante absolutum partus terminum nimia vehementia facuiunt, ad contractionem abortiuam vterum proritare possunt.

## §. 453.

Quo dolores spurii vexant tempore, nullos parturiens nixus edere debet, neque etiam  
quo



quo tormina scindunt. Vires inutili conamine licet fragantur, partus tamen nihil promouetur. Simulatque vero dolores spurii in veros mutantur, parturientem istos nixibus suis promouere iuuat.

§. 454.

Sed satis, puto, dictum est de doloribus spuriiis, redeundum itaque ad vteri obliquitatem, quae ex sequentibus signis generalioribus cognoscitur.

- 1<sup>o</sup>) Grauidae abdomen ea in regione, quam vterus occupat, eleuatur magis atque resistit, quam quidem in opposita.
- 2<sup>o</sup>) Quare maiorem ibidem grauitatem sentit, vegetioremque & frequentiore foetus motum.
- 3<sup>o</sup>) Orificium vero vteri in plagam oppositam vergitur, altius haeret vixque attingi potest (§. 433.).
- 4<sup>o</sup>) Apertura orificii externa diutius clausa & constricta manet, quam si vterus in axi peluis situs est.



## §. 455.

- 5<sup>o</sup>) Appropinquante partu caput ossi innitens, atque in aperturam pelvis superiorem minus descendens impedit, quo minus abdomen subfidere possit (§. 167.).
- 6<sup>o</sup>) Quare difficilius infantis cranium assequi licet.
- 7<sup>o</sup>) Dolores spurii pro obliquitatis gradu frequentes & vehementes parturientem vexant (§. 437.).

## §. 456.

- 8<sup>o</sup>) Liquoris amnii vesica, quae sub situ recto rotunda est, brevis & late expansa, sphaerae maioris segmentum exhibens; sub situ obliquo longe propendet, oblonga est, minus in latitudinem expansa, intestino similis ex vteri orificio pendenti: quin imo quandoque talis extra ipsam vaginam propellitur, atque pyri adinstar e genitalibus dependet.

## §. 457.

Haecce enim aquea bulla in aperturae vterinae formam se vertit; quare ampla fit atque circularis, quando vterus recte situs est. Caput etiam integram aperturam pelvis superiorem occludens, nimium liquoris amnii descensum



sum impedit, breuemque reddit vesicam. Quando vero vterus oblique situs est, versus illud latus, in quo minima resistentia est, amnii liquor propellitur, ibidem colligitur, atque in oblongam figuram formatur.

## §. 458.

9<sup>o</sup>) Ob eandem rationem iusto citius ista vesica disrumpitur, vt liquor amnii profluat. Quoniam enim velamentorum fibrae non solum inaequali, sed & nimia vi expanduntur, saepiusque ossi apprimuntur, resistere utique nequeunt, sed vi distrahenti cedunt.

10<sup>o</sup>) Post primum effluentis liquidi torrentem laticis stillicidium continuo riuo vterius profluit. Caput integram peluis aperturam superiorem nondum obturans idem permittit.

## §. 459.

11<sup>o</sup>) Liquore amnii effuso nihil fere superest, quod segmentum vteri inferius in vaginam detrudat atque attenuet, impulsus etiam dolorum axin peluis minus sequitur, quare lentissime vteri orificium aperitur (§. 442.). Primus enim is orificii margo dilatatur, cui caput apprimitur; qui minus patitur opposi-

tus,



tus, durior manet, tumet, & per successiuos demum gradus prioris mutationes sequitur.

§. 460.

12<sup>o</sup>) Ob eandem rationem caput lente descendit, diutius supra peluim moratur, difficilius digito attingitur.

13<sup>o</sup>) Quoniam etiam in alterutro latere haerens peluim non obturat, in opposito spatium a capite vacuum ita relinquit, vt inter cranium & ossa peluis integram manum, vel saltem digitorum nonnullos interponere liceat.

§. 461.

Generalia haecce phaenomena cuius quidem obliquitatis speciei applicari possunt, quaelibet tamen specialius ita considerari & determinari debet, vt quatuor primariae distinguantur.

1<sup>o</sup>) Qua vterus in partem matris anteriorem obliquus est.

2<sup>o</sup>) Qua in partem posteriorem.

3<sup>o</sup>) Qua in latus dextrum.

4<sup>o</sup>) Qua in latus sinistrum.

Ex his autem compositae intermediae species nascuntur.

§. 462.



## §. 462.

Quando continuatus vteri axis acutiorem cum horizonte angulum, quam peluis axis, intercipit, adeoque fundus versus anteriora nimis dirigitur, sequentia speciatim phoenomena oriuntur.

- a) Abdomen supra os pubis propendens, atque grauidae sedentis femoribus incumbens, ingratum pondus efficit.
- β) Hypochondria minus tenduntur minusque replentur.
- γ) Caput foetus ossi sacro obuertitur.
- δ) Vteri etiam orificium os sacrum respicit.
- ε) Idem difficillime, & quandoque non nisi integra manu in vaginam demissa, exploratur: difficillime etiam digitus, & solus fere incuruus vel flexus, in illud introducitur.
- ζ) Vrina maiori in gradu, ob vesicam compressam, supprimitur vel contineri nequit.
- η) Verticis loco occiput ad ostium depellitur. Quando enim ossi sacro vertex apprimitur, occiput ab ipso dolorum impulsu, si foetus in vtero recte situs est, deprimitur.

Haecce sub ipsum partus initium, antequam dolores partium statum mutauerunt, distinctius cognoscuntur.



## §. 463.

Quando continuatus vteri axis minus acutum cum horizonte, quam peluis axis, angulum intercipit, adeoque fundus in partem posteriorem nimis dirigitur,

α) Vterus, in leuiore gradu, horizonti perpendiculariter infistit, fundusque diaphragmati ita obuertitur, vt abdomen minus promineat, magisque complanetur.

β) Comprimitur vero ventriculus atque diaphragma, digestio impeditur & respiratio, frequens proinde versus grauiditatis terminum vomitus, spirandi maior difficultas, inspiratio parua & frequens.

γ) Ob intestinum rectum compressum alius tardior redditur.

δ) Vteri orificium facile attingitur, in horizontem perpendiculatum.

## §. 464.

Quibus vero lumborum vertebrae nimis in posteriora flectuntur, iis ea vteri obliquitas obtingere potest, vt vteri axis, in horizontem continuatus, axi peluis contrarius, versus anteriora angulum faciat, ipseque vterus, a tegumentis remotior, posteriorem abdominis regionem occupet.



## §. 465.

Quapropter sequentia signa apparent.

- α) Abdomen minus tensum & mollius est, ita ut supra solum os pubis globus durus percipiatur.
- β) Quoniam inter vterum & abdominis tegumenta media haerent intestina, manus abdomini imposita motum foetus vel nullum, vel minus valentem, quemque grauida ad dorsum refert, distinguit.
- γ) Quodque vteri orificium ossi pubis vicinum est, digitus explorans illud non assequitur, nisi versus os pubis incuruus feratur.

## §. 466.

Haecce situs species, si caetera paria fuerint, praecedente peior est. Peluis structura & experientia id ipsum probant. Etenim

- α) Si in posteriorem partem caput leuiori in gradu obliquum est, internae ossis sacri superficiei apprimitur, supra illam in plano ad vires impellentes inclinato descendit, os coccygis reprimat, sua sponte excidit.
- β) Quodsi vero in partem anteriorem dirigitur, acuto ossis pubis margini obtrudatur, nihilque adest, quod descensui eius faueat.

## §. 467.



## §. 467.

Quando vteri axis vnum vel alterum os ilium respicit, alteri horum ossium caput obuertitur, versus alterum vero fundus dirigitur. Phoenomena exhibet generalia (§. 454. sqq.) huc applicita, nisi quod vasa quandoque sanguinea & nerui eius lateris, cui moles vteri incumbit, ita comprimantur, vt pedis stupor, claudicatio, glandularum inquinaum tumor, & similia mala oriantur.

## §. 468.

Rarius autem cranium versus mediam ossis ilium partem vergitur, sed mox propius ad os sacrum accedit, mox ad os pubis, atque hac ratione ex obliquitate in priorem vel posteriorem partem participat.

## §. 469.

Haecce ad latera vergens obliquitas suis propriis premitur incommodis. Siquidem

a) Spinae ossis ilium inuolutae decliuis descensus causa esse potest, vt in pubem caput depressum in partem anteriorem malo omine (§. 466.) dirigatur.



- β) Brachium facile procidit. Sit, vt exemplum afferam, caput ad latus finistrum pressum, procidit brachium lateris dextri. Quod enim ad latus dextrum vacuum relinquitur, brachium, tanquam pars proxima, vel propria grauitate, vel ob dolorum impulsu, occupat.
- γ) Brachium prolapsu vltiorem capitis progressu omnimode impedit: viam enim praeccludit, & caput ita reprimi, vt in locum minus resistentem, ossis nempe ilium concavam expansionem recedat; quare collum in vaginam deprimitur, extenditur, foetusque mors acceleratur.
- δ) Hoc si minus accidit, sed in cauitatem peluis caput decidit, ossi ischii appellitur; brachium autem ossi ilium inhaerens vltiorem corporis progressu impedit.

## §. 470.

Variu obliqui situs, sibi relicti, euentu obseruatur. Faustissimu est, quando spurii dolores in veros sensim mutati lente caput, sed sine noxa exprimunt (§. 442.).

## §. 471.

Quodsi vero obliquitatis gradus maior ad descriptu (§. 445.) accedit, caput quidem, sed



sed post longam temporis moram, excidit. Quocirca parturiens aequae ac foetus multa incommoda interim patitur, illis nempe similia, quae caput nimis magnum (§. 402.) inducit.

## §. 472.

Etenim caput, a doloribus propulsum, ad matricis os appellitur, partes intermedias comprimit, inflammat, imo gangraena afficit: ipsum autem, si foetus viuit, intumescit atque in maximam molem excrescit. Quo fit, vt duplici ex causa via angustetur, repleatur atque non solum in pelvis aperturam superiorem, sed & in vaginam, caput depectum haereat, adeoque a dolorum momento valentiori promotum partes vel contusas, vel dilaceratas relinquat, ipseque foetus maxime debilis, vel penitus mortuus nascatur.

## §. 473.

Quando vteri axis in oram pelvis superiorem exacte dirigitur, (§. 445.) symptomata (§. pr.) descripta oriuntur, euentusque est, qualis (§. 446.) dictus fuit. Foetus autem cerebrum a fortiori pressione non solum comprimitur, sed & collum ita tenditur, vt sanguinis in ca-



pite circulus intercipiatur; quin ipsa quandoque cranii officula franguntur.

## §. 474.

Pessimus gradus euentum (§. 444.) descriptum habet.

## §. 475.

Soli naturae hunc partum nunquam medicus relinquit. Quamuis enim sub minori obliquitatis gradu tandem ab ipsa absoluat, nihilominus tamen artis ope multum iuuari potest. Quare protinus auxilium ferre, pro temporis & obliquitatis differenti gradu differens, conducit.

## §. 676.

Quod vt rite fiat, sequentia obstetricans obseruato.

I. Quotiescunque ante liquoris amnii profluum praesens est.

α) Binōs semper digitos vel, pro re nata, plures in vagina ante caput relinquat, donec sua sponte liquor effluxerit.

β) Effluxo liquore continuo integram manum demittat, palmam capiti applicet, dorsum vero pelui; caput, quantum potest, ab osse soluat atque in peluis axin reducat.



- γ) Quo minus orificium vna cum capite prolatur refundendo impediatur.
- δ) Quodsi hoc artificium succedit, istud, donec caput exciderit, continuet; quod quidem sub maiori etiam obliquitatis gradu quandoque euenit.

## §. 477.

Quando autem maior obliquitatis gradus hoc artificium ita eludit, vt caput promoveri nequeat, sine vlllo temporis dispendio manum altius ferre, pedibusque prehensis foetum, ex artificiis infra describendis, educere conuenit.

## §. 478.

II. Quoties vero post liquoris amnii effluxum demum medicus accedit, gradusque obliquitatis ad dimidiam vsque cranii partem non progreditur,

- α) Eodem modo capiti manum & pelui ita interferit, vt sub omnis veri doloris vehementia caput, ab osse depressum, in axin reducat: hanc operam eousque, donec caput natum fuerit, continuat. Manus interim operatoris, inter duo ossa compressa, multum patitur.



β) Sicubi sola manus non facit officium, forcipe demissa foetum extrahit. Alterum quandoque forcipis brachium, ad cranium ab osse deprimendum sufficit, si medium inter cranium & peluim rite locatur, opposita cranii regio opposita manu prehenditur foetusque educitur. Hac vel manus, vel vnus forcipis brachii, actione id efficitur, vt actio enascatur e dolorum momento & hacce pressione composita, quae foetum, in plano inclinato descendente, per diagonalem deprimat. Secunda haec operatio, quod duplici adminiculo peragitur, maioris momenti est.

## §. 479.

At contra foetum, sine vlla temporis mora, pedibus prehensis extrahere experiatur medicus, quotiescunque dicto (§. pr.) maior est obliquitatis gradus, neque prius forcipe vtatur, quam spatium nimis angustum manus in vterum demissionem absolute impediat, siquidem forcipis iniectio maiori periculo, temporis artificiique dispendio perficitur. Sola vero manus opera pro capite educendo hoc casu nunquam sufficit.



§. 480.  
 Haecce quidem artificia succedunt, si satis in tempore medici opes petita fuit. Non solum autem natura imbellis est, sed & ad extractionem, quae pedibus fit, confugere non licet, si longum iam temporis interuallum a liquoris amnii effluxu fuit praeterlapsum, vterus arctius foetum ambit, orificium minus patet, ossique caput firmitus infixum est.

§. 481.

Quo quidem in casu, si capitis & genitalium minor adhuc tumor permittit, vt capitis moles impune istud fretum penetrare possit, spes vtique in forcipe, qua foetus a matre solvatur, reponenda est.

§. 482.

Quando vero capitis & genitalium tumor in eam iam molem excreuit, vt absque contusionis & dilacerationis periculosa strage caput integrum extrahi nequeat, in sola capitis (se-  
 ctione praecedente descripta) imminutione auxilium superest.

§. 483.

Quaeuis insuper obliquitatis species peculi-  
 ares quasdam cautelas requirit. Ita, si caput



ossi sacro obuertitur, atque naturalis esse partus potest, utique manus feruentis, quae, abdomen propendens sursum ferendo, vterum versus peluis axin dirigit, proficuum operam ferre censenda est. Hoc vero auxilii genus non prius ac ipse partus cessare debet. Iuuat etiam situs parturientis supinus, quo fundus vteri sua grauitate in spinam dorsi ita decidit, ut caput cum vteri orificio paucillum ab osse sacro soluatur.

## §. 484.

Simulatque caput angulum ossis sacri superauit, vltior progressus sequentibus artificiis subleuatur.

- α) Ut eo valentiores nixus edantur ex supino situ in solitum reponenda est parturiens.
- β) Validos nixus sub quouis dolore parturiens edat.
- γ) Ne vteri orificium simul prolabatur caueat medicus.
- δ) Coccyx methodo mox tradenda reprimi debet.

## §. 485.

Quamuis enim dictum angulum caput superauerit, nihilominus adhuc dum ad os sacrum obli-



obliquum est, atque difficilius transit. Euenit etiam, vt caput mox sub initium partus, leuiori in gradu obliquum, ossis sacri angulo non inhaereat, sed ad ipsum ossis sacri corpus vergatur. Quod vt pateat, notandum est.

α) Superiorem ossium pubis marginem duabus circiter vnciis distare ab inferiore; ossis vero sacri altitudinem ab angulo suo ad ossis coccygis extremum sex vnciarum esse; ita vt posterior altitudo anteriorem bis superet.

β) Exinde euenire potest, vt caput in posteriorem partem obliquum, ad quatuor vnciarum longitudinem infra angulum ossi sacro inhaerere possit, praeterquam quod cum angulo rem habeat.

§. 486.

Huius etiam obliquitatis differens esse gradus potest. Summus quidem, si caput ab osse sacro retardatur; minor, si ab osse coccygis; minimus, si a perinaeo.

§. 487.

Ipsa autem haecce obliquitas dignoscitur, quando.

α)



- α) Angulum ossis sacri caput superauit, atque in peluis cauitatem delapsum est.
- β) Vteri orificium successiue quidem dilatatur.
- γ) Ipsum tamen ad os sacrum versum apprehenditur, caeteraque symptomata exinde pendentia (§. 462.) minori in gradu adsunt.
- δ) Caput in vagina haerens, a doloribus valentioribus lentius promouetur.
- ε) Perinaeum aliquantisper protruditur.
- ζ) Versus os pubis vacuum a capite superest.

## §. 488.

Cum leuissimo gradu (§. 486.) is fere partus conuenit, quo quidem in axi peluis vterus haeret, perinaeum autem, vna cum vagina, iusto strictius est, ita vt a capite propulso in partem posteriorem non reprimatur, sed extrorsum protrusum sub quouis dolore euevetur.

## §. 489.

Primiparis praecipue, vtpote quibus hae partes nondum dilatatae fuerunt, istud malignus accidit, iisque prae reliquis, quae in prouectiori iam aetate prima vice partum edunt, fibrasque corporis vniuersi strictiores habent.



## §. 490.

Cognoscitur autem ex sequentibus signis.

- a) Sine vlllo impedimento in superiorem peluis aperturam caput decidit.
- β) Simili ratione ad inferiorem vsque progressum est.
- γ) A quouis etiam doloris impulsu extra ipsam peluim propellitur.
- δ) Quoties vero protruditur, perinaeum, anum & vaginae orificium secum ita rapit, vt integer verticis ambitus, hisce partibus velatus, extra corpus promineat.
- ε) Anus solito magis prolabitur.
- ζ) De diro, in istis partibus perpeffo, cruciату parturiens misere conqueritur.

## §. 491.

Dubius euentus est, si soli naturae negotium committitur. De rara fortuna sibi gratulantur, quibus impune caput tandem excidit. Saepius enim dolorum vis maior perinaeum extendit, attenuat, disrumpit, ita quidem vt ruptura quandoque ad intestinum rectum vsque progrediatur. Nonnunquam etiam, quando ossis sacri, coccygis atque perinaei resistentia maior est, dolores cessant & caput subsistit.



## §. 492.

Satius itaque est recenti re protinus adhibere medicinam, antequam caput perinaeo ita apprimatur, vt digitum vel manum interferere non amplius liceat. Quod vt rite fiat,

α) Ita collocatur parturiens, vt liberum sit perinaeum & os coccygis.

β) Integra manus pinguedine inungitur.

γ) Vtriusque manus duo tresue digiti in vaginam demittuntur, quin imo, pro re nata, integra manus inter caput & os sacrum penetrat.

δ) Palma manus, digitis expansis, caput comprehendit, dorsum autem ossi sacro, coccygi & perinaeo incumbit.

ε) In dolorum interuallo digiti immoti haerent.

ς) Fortiores nixus edit parturiens.

η) Duplici actione medicus caput attrahit, coccygemque cum perinaeo reprimit, idque moderate & per gradus lentiores, ita vt successiue genitalia, & absque dilacerationis metu, dilatentur.

θ) Manus a vi doloris forsan depressa, dolore cessante, reponitur.

ι) Haec, donec caput exciderit, continuantur.



## §. 493.

Quodsi vero, cessantibus doloribus (§. 491), caput in pelvis cavitare immotum haeret, simili (§. pr.) penitus artificio manus demitti, caput ab osse solui, coccyx perinaeumque reprimi debent. Quo fit, vt sublata resistentia, nouaque irritatione accedente, vteri actio restituitur, augeatur, vis dolorum valentior redeat, ipsumque caput, a medico deductum, excidat.

## §. 494.

Liceat huc, propter auxilii conuenientiam, istud etiam mali genus referre, quo propter os sacrum & coccygis nimis introrsum versum (§. II. n<sup>o</sup>. β.), caput optime situm libere quidem intra pelvis capacitatem delapsus est, ad inferiorem autem aperturam immotum subsistit.

## §. 495.

Ipsa exploratio hoc ossis coccygis vitium demonstrat. Medicina cum descripta (§. 492. & 493.) conuenit, nisi quod cranium aperiendum sit, si coccyx forsan immobilis cedere nolit, vel etiam, si repulsus licet fuerit, minus tamen spatium aperiat, quam vt caput exprimi possit.

## §. 496.



## §. 496.

Restat pessima obliquitatis in partem anteriorem vergentis species consideranda, qua vterus ita supra os pubis pendet, vt axis continuatus horizontem non pertingat, sed vel parallelus sit cum eodem, vel penitus diuergat ab illo.

## §. 497.

Hoc quidem casu euenire quandoque solet vt, licet foetus in vteri axi haereat, tempore tamen partus ex hoc situ ita dimoueatur, vt facies os pubis respiciat. Quodsi enim foetus vteri axin sequitur, atque dicta (§. pr.) vteri obliquitas adest, dorso foetus incumbit, atque a dolorum vi caput ad os sacrum appellitur; quod cum intra ipsam peluis cavitatem depelli nequit, propter istam pressionem primum in pectus deprimitur, dein voluitur, quam tandem volutionem integrum corpusculum ita sequitur, vt abdomini foetus incumbens minori opera extrahi queat.

## §. 498.

Non omnium autem haec est fortuna. Accidit enim, vt supinus maneat foetus, capitis vertex ossi sacro apprimatur & in vaginam occiput deprimitur. Collum itaque ossibus pu-



bis inhaeret, & humeri in anteriorem istorum ossium parietem nituntur. Quo fit, vt dolorum impulsus minime partum promoueat, sed humeros ossibus pubis apprimat & collum firmitus impellat. Truncus etiam propter dorsum non flectendum sequi non potest. Quamobrem collum tenditur, foetus perit, matri a contusione periculum imminet.

## §. 499.

Pedibus utique prehensis foetum extrahere conuenit, si quidem minor a liquoris amnii profluxu mora manui locum in vterum penetrandi concedit.

## §. 500.

Difficillima autem haec operatio censenda est propter,

- α) Caput ostium obturans.
- β) Angulum vteri, quem demissa manus vix sequi potest.
- γ) Capitis remoram. Quo magis enim prehensi pedes attrahuntur, eo validius caput in superiorem peluis aperturam ita pellitur, vt simplici saepius arte partus absolui nequeat.
- δ) Si quando pedes dorso incumbunt, vix ac ne vix quidem istos attrahere datum est.



## §. 501.

Quo melius vero ista extractio fieri possit, sequentia notanda sunt.

- α) Caput ostium obturans operator, quantum fieri licet, semouere debet.
- β) Pedes, quousque fieri licet, sola manus ad orificium ducere; cum primum vero resistentia occurrit, alterum illorum, vel pro re nata, vtrumque fascia firmare.
- γ) Ita quidem vna manu, extra corpus, fasciam attrahit; altera vero, intra vterum, eodem tempore caput foetus & truncum reprimat.
- δ) Haec dum aguntur, minister propendens parturientis abdomen subleuat.

## §. 502.

Quotiescunque vero, ob longum temporis spatium a liquoris amnii profluxu interjectum, occiput in cauitatem peluis depressum omnem manui in vterum introitum praecludit, caput, ex supra traditis (S. I.) regulis, extrahi debet. Sibi autem operator caueat, ne ab initio operationis deorsum caput trahat, humerosque cum collo firmiter impingat; sed in posteriorem po-  
tius



rius partem, vt humeri eo melius soluantur, istud ducat.

§. 503.

Quando caput ossibus pubis inhaeret,


- a) Parturiens lotium reddat, vel catheteris ope emittat, ne vesica distenta a dolorum impulsu & operatoris manu detrimentum capiat.
- β) Quando axis vteri in horizontem perpendicularis est, situs corporis erectus parturienti non conducit, sed supina eo fine cubare debet, ne grauitate sua caput in os pubis nitatur. Pronus corporis situs, quod ei ferendo parturiens impar est, suaderi nequit.
- γ) Eodem tempore, quo vna operatoris manus intra vaginam caput ab osse pubis soluit, altera exterius supra os pubis caput reprimit.
- δ) Simulatque caput ab osse solutum est, parturiens in suetum situm, quo fortiores nixus edantur, reponi debet.
- ε) Quo minus vrethra & columna rugarum vaginae superior laedantur, duo vel quatuor operatoris digiti a se invicem diducti ea ratione inter os pubis & caput locentur, vt



inter illos media haereat urethra & dicta columna rugarum vaginae superior.

§. 504.

Cum ad alterutrum latus caput dirigitur, id sibi datum putet operator, vt capite nato humeros aperturae pelvis superiori innitentes soluat.



## CAP. XVII.

### SECT. III.

# PARTVS DIFFICILIS ET PRAETERNATVRALIS OB INIQVVM CAPITIS SITVM.

§. 505.

**T**ametsi vterus in axi pelvis haeret, caput tamen primum oblatum varia situs habere vitia potest. Eadem etiam vitia nonnunquam cum vteri obliquitate coniunguntur.

§. 506.



## §. 506.

I°. Obseruatur, quod *facies*, quae in partu facili ossi sacro obuerti debet, *versus os pubis dirigatur*.

## §. 507.

Exinde vero difficiliorem partum oriri dubium esse nequit. Vt enim dolorum impulsus, a fundi contractione incipiens, per ipsum foetus corpusculum ad orificium vsque propagetur omni, quoad ejus licet, virium momento, requiritur, vt foetus caput, in pectus inclinatum, a combinata dolorum vi, per vertebrae colli & pectus promota, ad orificium pellatur. Si qua vero facies os pubis respicit, impulsus dolorum caput a pectore remouet, dorsumque versus pellit, quare dolorum momentum per solas colli vertebrae in caput transfunditur, & cuncta dolorum vis, quae in corpusculi truncum impenditur, nulla est, si eam, quae vertebrarum ductum sequitur, exceperis.

## §. 508.

Tandem tamen hic partus, post longiorem temporis moram, a naturae actione absoluitur.



## §. 509.

Nequit cognosci, antequam caput est natum. Solam suspicionem mouere potest dolorum valentior nisus, cum situ vteri recto coniunctus, tanta tamen non praestans, quanta quidem fuit, si nullum obstaculum adest. Fontanella etiam ossi pubis propior est, quam cum facies os sacrum respicit.

## §. 510.

Quapropter nihil ars moliatur, sed parturiens leuioribus nixibus primos dolores iuuat. Obstetricans caueat, ne sub egressu facies ossi pubis allidens detrimentum capiat.

## §. 511.

Cum vterus simul fuerit oblique situs, duplex malum concurrit; quare ancipiti spei euentus naturalis praestat artificialis eductio, quae pedibus fit. Si quando haecce fieri nequit, in casu mitiori forcipe extrahendus est foetus; in grauiori vero, qui veram paragomphosin iam sistit, cerebri effusione cranium est immi- nuendum.

## §. 512.

II<sup>o</sup>. Verticis loco *facies prima offertur.*

## §. 513.



## §. 513.

Si mox post liquoris amnii effluxum exploratio instituitur, minori negotio facies cognoscitur. Quoties vero post longiorem temporis moram dolorum vis caput iam in pelvis cavitatem depergit, cunctae partes tumescunt, & in alium habitum ita abeunt, vt cognitu fiant difficillimae. Quare exactior exploratio, quae omnem partis praeviae ambitum acutissime indagat, vtique requiritur.

## §. 514.

Faciem prolapsam propriae partes determinant, frons puta, oculi, nasus, genae, os. Contenta autem oris, lingua nimirum & mandibulae, praecipua faciei criteria exhibent, ipsamque oris aperturam ab intestini recti exitu optime distinguunt.

## §. 515.

Sinistris auspiciis huius partus negotium geritur. Ob rationem enim (§. 507.) dictam, dolorum vis non solum multum imminuitur, sed & aliqua faciei pars aperturae pelvis superiori infixae est, siue frons illa sit, siue mentum,



siue alia quaecunque particula. Quin imo a natura hic partus saepe absolui nequit.

§. 516.

Triples potissimum faciei praeuiae modus obseruatur.

Ius est, quando propter subitaneos & praematu-  
ros dolores, vtero etiam optime sito,  
*frons ab osse pubis retinetur.*

§. 517.

Valentiorum vis dolorum hunc partum ab-  
soluit, si minor frontis portio ossi pubis in-  
haeret.

§. 518.

Si mox etiam post liquoris amnii effluxum  
praesens fuerit operator, sequens auxilium fer-  
re potest,

- a) Tempore dolorum intercalari femina supi-  
na cubat & tranquilla, nixibus minime agitata.
- β) Operator manum in vterum demittit, &  
digitis expansis collum absque pressione com-  
plectens, humerum, quanta vi potest, re-  
fundit; quo fit, vt sua sponte fronte ab osse  
pubis soluta, caput in peluim decidere &  
facili opera in axin reduci queat.



γ) Quo facto parturiens in solitum situm reponitur.

§. 519.

Foetus quidem laeditur, sed in debitum situm non collocatur, si sine hac refusione saepius contrectatur, vana illum in axin spe reducendi. Minus itaque laudandi sunt, qui digitum in os immittunt, inferiorem maxillam luxaturi vel fracturi. Contusiones faciunt, qui inutili opera faciemprehendunt, visionem laedentes, si oculos comprimunt.

§. 520.

Quodsi vero situs vteri obliquus concurrat, vel maior faciei portio supra os pubis haeret, nihil est, quod caput in rectum situm reducere tentemus; sed continuo, si modo liceat, foetus pedibus est extrahendus, vel forcipe, si pedes nullo modo arripi possunt; non praetermissa in casu pessimo capitis imminutione.

§. 521.

Idus est, quando ob foetum supinum, subitaneos & praematueros dolores, vtero etiam optime sito, *frons ab osse sacro retinetur, mentum vero ad os pubis vergitur.*



§. 522.

Vis dolorum valentiorum quandoque, sed difficilius, hunc partum absoluit.

§. 523.

Medicus etiam temporius praesens eundem iuuat, si

a) Manum ductu parietis vaginae posterioris intra vaginam ducit, palma quidem versus caput, dorso versus intestinum rectum conuerso.

β) Eadem infra frontem vsque adacta, sub primum doloris impulsu, frontem versus os pubis deprimit.

§. 524.

Irrito hocce artificio foetuque viuentem, pedibus, si quidem id fieri potest, extrahi, vel forcipe prehendi foetus debet. Quodsi vero lingua immota eius mortem denunciauerit; bini digiti, quousque fieri licet, in os intrudi, & incuruati, vncorum adinstar, caput attrahere possunt.

§. 525.

Illius est, quando *sola faciei pars quaedam praevia est.* Quo quidem casu exploranti digi-



to auris etiam obuia fit, eminentiis suis atque cauitatibus dignoscenda.

§. 526.

Nunquam fere non situs vteri obliquus hunc foetus iniquum situm efficit; quare, absque inutili reductionis opera, mox pedibus infans extrahatur, vel forcipe, si pedes assequi non amplius datum est.

§. 527.

Si infantis *nucha* digito *occurrit*, eadem sunt notanda (cf. vtique §. 498.).

§. 528.

III°. Vertex quidem primus offertur, vterusque in axi peluis haeret, sed *foetus in latus ita est conuersus*, vt facies alterutrum os ischiū respiciat, & humerorum vnus supra os pubis haereat, alter supra os sacrum.

§. 529.

Hoc quidem casu caput peluim rite intrat, atque ad orificium vsque vaginae absque impedimento decidit, quin imo extra vaginam quandoque protruditur; cum primum vero istud itineris emensum est, subsistit, valentissimi dolores nihil proficiunt, partes inflammant, ces-

sant,



fant. Neque tamen matricis obliquus situs, neque capitis vitium obseruatur.

§. 530.

Dicta (§. pr.) signa si praesentia fuerint, & caput extra vaginam non haereat, dubium est: vtrum humeri ossi pubis & sacro innitantur, an funiculus collum ambiat, an foetus brachia supra dorsum decussatim reflectantur, an abdomen sit hydropicum, an ipse foetus sit monstruosus.

§. 531.

Vt itaque omnis dubitatio tollatur, digitus ipsum caput exploret &, quamnam in plagam facies sit versa, determinet: quae, si os sacrum non respicit, & specialiora signa, alia impedimenta (§. pr.) denotantia, non adsunt, humeros in peluim niti certa res est.

§. 532.

Quodsi caput iam extra vaginam haeret, facilius auxilium ferre licet. Ad vtramque nempe aurem caput prehensum ita in illud latus, in quod facies iam inclinatur, vertitur, vt haec os sacrum respiciat.

§. 533.



§. 533.

Hæcce autem versio si minus succedit, brachium solui debet: quod vt rite fiat,

- α) Vna manus, collo comprehenso, caput versus os pubis eleuat.
- β) Altera vero, ductu vaginae parietis posterioris intra vterum, ad humerum vsque, penetrat.
- γ) Hoc dein humero duce bini digiti ad flexuram vsque cubiti repunt.
- δ) Incurui illam prehensam educunt.

§. 534.

Ita soluto brachio,

- α) Vna operatoris manus caput prehendit, binis digitis in os demissis, reliquis ad latus ita collocatis, vt pollex supra aurem feratur.
- β) Altera manus solum humerum arripit.
- γ) Iuncto motu facies deorsum versus os sacrum, humerus vero sursum vsque eo fertur, donec foetus debitum situm obtinuerit.
- δ) Tandem parturiens nixus addit &
- ε) Foetus extrahitur.

§. 535.

Quamdiu vero caput adhucdum intra vaginam latet, huic artificio locus non est, nisi  
prius



prius caput soluatur, quod quidem sequenti modo peragi debet.

- α) Nixibus suis parturiens eodem tempore capitis depressionem iuuare, quo medicus eandem molitur.
- β) Vtriusque manus bini digiti, index puta & medius, simul in vaginam ita, vt caput inter & os pubis ferantur, demitti.
- γ) Caput ab osse pubis versus os sacrum deprimi.
- δ) Expansi digiti circum caput, donec ad perinaeum peruenerint, agi.
- ε) Hoc vna cum coccyge in partem posteriorem moueri.
- ζ) Eodem motu perinaeum cum vagina sursum premi, vt foetus collum amplectatur.
- η) Caput, quoad licet, exprimi.

§. 536.

Cum digiti huic negotio perficiendo minus suffecerint, capite ab osse pubis depresso,

- α) Integra manus in vaginam vsque eo feratur, vt digiti, retro occiput lati, integrum caput amplectantur.
- β) Vnius manus bini digiti caput ab osse pubis deprimant.



γ) Altera vero manus, intra vaginam haerens, sursum & retrorsum moueat perinaeum, & caput, donec prodierit, adducat.

δ) Eodem tempore parturiens nixus edat.

§. 537.

Quodsi hac etiam ratione caput solui nequit, forceps, lege artis applicata, ita mouetur, vt faciem versus os sacrum voluat, foetumque simul educat. Si paragomphosis iam accessit, cranio adaperto, volumen prius imminuendum est.





## CAP. XVII.

## SECT. IV.

PARTVS DIFFICILIS ET PRAE-  
 TERNATVRALIS PROPTER  
 IMPEDIMENTVM QVOD-  
 DAM IN CORPORE  
 FOETVS PRAE-  
 SENS.

## §. 538.

**S**i caput & vterus in debito situ locati sunt, & mole nimia caput se ipsum non remoratur, causa minus expediti progressus in corpore foetus, vel in ipsa matrice quaerenda est.

## §. 539.

Ima. Proxima capiti causa est, quando *funiculus umbilicalis circa foetus collum controquetur.*

## §. 540.

Ex certis signis ista contorsio dignosci nequit. Coniecturae locus est si, nullo dictorum (§. 538.) impedimentorum praesente,  
 a quo-



a quouis quidem dolore caput promouetur, cessante vero dolore adusque altitudinem fere, qua ante dolorem haesit, retrogreditur. Ita quidem, quod caput retrahit, impedimentum adesse patet.

§. 541.

Istud quidem signum confirmatur, si eo tempore, quo caput prorupturum est, sanguinis copia e pudendis exstillat.

§. 542.

Quando dolores cessant, vteri fundus recedit, & caput cum funiculo, ex contorsione nimis breui, cohaerens secum ducit: hoc vero resistens funiculum ita attrahit, vt placen-  
tae pars soluta sanguinem fundat.

§. 543.

Tensus funiculus collum foetus fortius constringit, liberum sanguinis per caput circulum intercipit, ipsum foetum enecat, liuidumque quandoque reddit.

§. 544.

Istum quidem partum naturae vis tandem absoluit, sed maximis cum laboribus & matris defatigatione, haemorrhagiae, vteri inuersio-



nis, foetusque mortis periculo: quare artis opera accedat oportet, differens pro differente partus progressu & periodo.

## §. 545.

Funiculi breuitas liberio rem capitis progressum, ad aperturam vsque pelvis inferioris, non impedit, sed cum caput vsque eo delapsum fuit, impedimenti vis demum apparet, quare

- a) Sub quoduis doloris initium vnus alterue digitus caput ad tempora prehendere atque, ne recedere possit, firmiter detinere debet.
- β) In casu peiori, quo manus auxilio caput extrahi nequit, forceps applicari.
- γ) Parturientis interim vires iusculis & potiusculis cardiacis seruari.

## §. 546.

Quando caput in inferiorem pelvis aperturam delapsum est, ibidemque moras necit,

- a) Vsque eo, vt funiculus detegatur, extrahi debet.
- β) Hic detectus forfice obtusa & incurua discindi,
- γ) Foetus ipse celeri motu extrahi.



- δ) Funiculi pars cum ipso cohaerens a feruiente deligari.
- ε) Placenta vero ab operatore mox solui. Hac ratione impedimentum remouetur & negotio velocius peracto, largior sanguinis profusio non est metuenda.

§. 547.

Quodsi caput iam extra pudenda haeret, & funiculus collum ambiens apparet,

- α) Funiculi pars placentam respiciens leniter attrahatur.
- β) Caput illuc flectatur.
- γ) Funiculus circa caput voluatur.

Hac operatione funiculus liberatur, impedimentum remouetur, reliquumque partus a natura penitus perficitur.

§. 548.

Quodsi vero hoc artificio vti non liceat, funiculus ( §. 546. n<sup>o</sup>. β.) discindi, atque partus dicta ratione absolui debet.

§. 549.

Placenta extracta manum medicus in uterum demittito, fundumque, a violenta funiculi tractione introrsum versum, refundito.



## §. 550.

Caput quandoque extra pudenda iam haeret, tactus funiculum circa collum non deprehendit, orificium vaginae circa collum laxè solum constringitur, neque tamen caput, a magno etiam dolorum momento, ulterius promouetur. Brachia, abdominis hydrops, monstruosa foetus conformatio, obstaculum hoc casu facere possunt.

## §. 551.

*II*da. *Brachia dorso decussatim incumbentia* ossi pubis inhaerent, & ulteriorem corporis progressum ita impediunt, vt potius rumpan- tur, quam a vehementissima dolorum vi foetus promoueri possit.

## §. 552.

Quamobrem, vt foetus nasci queat, brachia soluenda sunt (§. 533.), quibus solutis foetus reliquum facillime extrahitur.

## §. 553.

Haec brachiorum solutio etiam perficienda est, si foetus abdomen est hydropicum, vel monstruosam foetus conformationem habet, quare in causa (§. 550.) dubia brachiorum solutio semper praecedere debet.

## §. 554.



§. 554.

IIIa. Quodsi itaque brachiis solutis truncus non sequitur, manu in vterum demissa in causam remorae inquirendum est, quam quidem *hydropem abdominis* esse, abdomen foetus maxime tumidum demonstrat.

§. 555.

Quo melius autem truncus extrahi possit, sub axillis soluta brachia prehendi debent, truncus hinc inde moueri & moderato motu extrahi. Ita sensim aqua distribuitur, vt prodire abdomen possit.

§. 556.

Si qua vero tanta liquoris copia abdomen eleuat, vt parum succedat ista agitatio, non nisi in apertura abdominis, quae instrumento quodam secante fit, spes superest, eo fine facta, vt effluxo liquore abdomen subsideat.

§. 557.

Simili artificio vtendum est, quando tumor cysticus, aquosus, corpusculi integumenta, prouti obseruatum est, distendit.



## §. 558.

**IVa.** Si quando *membrum foetus superfluum, vel ipse foetus duplex*, exitum remoratur, in ancipiti spes est. Nonnunquam quidem istae partes ita a dolorum vi compinguntur, vt peluim ampliolem transeant, saepissime vero naturae neutiquam vincendum obstaculum obiiciunt. Neque etiam artis subsidium, nisi quod instrumenta dissecantia afferunt, magno etiam cum parturientis periculo, superest.





## CAP. XVII.

## SECT. V.

PARTVS CAPITIS PRAEVI  
DIFFICILIS OB VTERI  
VEL VAGINAE  
VITIVM.

## §. 559.

Ia species est, quando *corpusculi truncus a constricto vaginae sphinctere retardatur.*

## §. 560.

Accidit enim vt, neglecta corpusculi post capitis partum extractione, vaginae sphincter sua sponte circa foetus collum constringatur, & adeo arcte illud ambiat, vt a vehementiori dolorum vi ista contractio superari, digitusque sine violentia inter collum & vaginam interferi nequeat. Foetus etiam, impedito sanguinis in caput circulo, praematurum diem obit.

## §. 561.

Quare omni diligentia praecauendum est, ne capite nato truncus residuus maneat. Quando



do vero circa collum orificium iamiam est constrictum, istud vinculum rursus solui debet, quod quidem optime digitis successiue capiti & collo interfertis, dilatatoque sphinctere, ita perficitur, vt truncus caput attractum sequi vel, brachiis solutis, extrahi possit.

## §. 562.

Descriptae (§. pr.) encheireses ab imperitioribus negliguntur, violentia matri & foetui infertur, forti manuum actione caput ita attrahitur vt, trunco non sequente, ipsum auellatur, praecipue si, ob foetus mortem praegressam, partes putrescentes & molliores fuerint.

## §. 563.

Quoties hoc mali genus accidit, truncus residuus sequenti ratione extrahitur.

- a) Binos digitos medicus, pariete posteriori duce, in vaginam demittit.
- β) Iisdem incuruatis flexuram cubiti foetus alterutram attrahit.
- γ) Brachio soluto & prope humerum prehensio, foetus corpusculum, versus os sacrum depressum, extrahit.
- δ) Quodsi vero hac ratione corpusculum non sequitur, alteram etiam brachium soluit, &

vTRO-



utroque brachio prope humerum prehenso, foetum educit.

- ε) Si brachium ad flexuram cubiti solui nequit, ad manum usque pergit, illamque prehensam attrahit.

§. 564.

Haec est, quando *uterus vel vagina prolabitur*.

§. 565.

Orificium uteri a capitis, ad externa pudenda compulsi, motu ipsum quandoque propellitur; quale quid accidit, quando

- α) Pelvis apertura superior nimis ampla est (§. 13.).  
 β) Uterus vel caput obliquum situm obtinuit.  
 γ) Parturiens iam ante grauiditatem eiusmodi prolapsu laboravit.  
 δ) Ex sua natura uteri orificium aegerrime dilatatur.

§. 566.

Quodsi vero vagina nimis laxa est atque propendens, vel uterus oblique situs, in partu a capitis motu vagina propellitur.

§. 567.

Relaxant vaginam, praeter morbos internos serofos, partus frequentiores & vesica vri-



naria tempore partus lotio distenta, vaginam-  
que in tumorem eleuans. Quamobrem, quod-  
que ipsa columna rugarum vaginae superior in  
vaginam propendet, huius columnae prolapsus  
frequentior in partu obseruatur.

## §. 568.

Vtraque prolapsus species facillime digno-  
scitur. Quodsi propter peluim nimis amplam  
os vteri depellitur, situs vteri rectus obserua-  
tur, dolorumque vis valentior caput quidem  
promouet, sed descendit orificium lentiusque  
aperitur. Exploratio etiam descensum orificiū,  
cum obliquo vtero coniunctum, reliquasque  
species determinat.

## §. 569.

Partum remoratur hic discensus, partu-  
rienti maxime incommodus & dolorosus est, ac  
nisi vltior prolapsus a medico impediatur, post  
partum maior fit, & feminae semper oneri est.

## §. 570.

Si vterus prolabitur, medicina esto.

α) Femina parturiens in lecto supina cubet,  
neque sedili insideat, neque ingrediatur.




- β) Medicus, sub quouis dolore, orificium descendens binis digitis reprimat atque refundat, grato parturienti opere.
- γ) Caput extra corpus propulsum a ministro recipiatur, vt refusionem continuare medicus possit.
- δ) Secundae decorticationis ope potius, quam funiculi attractione soluantur.
- ε) Partu finito vterus a tribus digitis, in conum formatis, refundatur.
- ζ) Puerpera tranquilla cubet, nullis nec tussis, nec sternutationis, nec vomitus, nec membrorum, nec animi motibus agitetur.

§. 571.

Si vagina prolabitur,

- α) Vrina, si quidem licet, catheteris ope educatur, idque, ne vesica distenta vaginam in tumorem eleuet, re recenti fiat.
- β) Eadem, quae §. pr. praecepta sunt, & hic obseruentur.





CAPVT. XVIII.  
 PARTVS DIFFICILIS ET PRAE-  
 TERNATVRALIS OB ALIAM  
 CORPORIS PARTEM,  
 PRAETER CAPVT,  
 PRAEVIAM.

SECT. I.

EXTRACTIO FOETVS, QVAE PEDIBVS  
 FIT, VERSIO DICTA.

§. 572.

Quando commode foetus capite nasci nequit, pedibus prehensis educi debet. Quo melius autem haec operatio perficiatur, ante omnia parturiens in commodum situm collocanda est; qui quidem is esse debet, vt

- a) Immota penitus parturiens cubet.
- β) Operator quam commodissime suas actiones perficiat.

§. 573.

Secundus scopus adimpletur, si

- a) Parturiens supina decumbit, humeris atque capite paulo, quam nates decliuioribus, ita

vt



vt operator liberrime agat, & vterus cum foetu, pelui minus appressus, retrocedat.

- β) Ad marginem vsque lecti eadem ita protrahitur, vt ossi sacro incumbat, integra vero femora dependeant. Hac ratione peluis introitus liberrimus & operatori proximus ita fit, vt manum in vterum demittere facilius queat.
- γ) Ad spondae latus vtrumque duo ministri scabellis insident; quibus pedem parturientis extremum in gremium recipit, altera manu malleolum, altera genu firmat, diligentissimeque femur diducit.
- δ) Ea lectuli altitudo est, quae operatori scabellae insidenti paulo humiliori suas operationes liberrime perficere concedit. Situs corporis erectus, vel geniculatio nimis defatigat.

§. 574.

Primo scopo satisfit, si

- α) Parturientis lumbi puluinari duro & resistenti innituntur.
- β) Humeros eius minister comprehendit, ne sursum deorsumque moueri possint.
- γ) Quoties plures praesto sunt ministri, ad vtrumque spondae latus vnus collocatur, quorum



rum quilibet vna manu humerum sui lateris firmat, altera parturientis manum comprehendit, ne mota operatori impedimento sit.

δ) Tertius caput continet.

§. 575.

Sua itaque sponte patet, quod huic scopo optime inferuiat,

α) Lectulus (§. 268.) descriptus, si modo auferantur asserculi, excauatus puta inferior n. 3. & excisus n. 9, vna cum minoribus puluinaribus n. 11.

β) Huius defectum optime supplet lectulus extemporaneus HORNII (§. 280.).

γ) Grabatus Mottianus, Mesnardianus, Schlichtianus, vel alius rite aptatus etiam adhiberi potest.

§. 576.

Sella obstetricalis (§. 287.) & matta id habent incommodi, vt humiliores sint, & operatorem, cum magna sui defatigatione, genibus incumbentem requirant.

§. 577.

Parturiente lecto vulgari transuersim imposita, operatio commode quidem perficitur, sed ministri aegrius parturientem firmant.

§. 578.



## §. 578.

Parturientem mensae imponere non minus urbanitatem laedit, quam operatoris, pedibus insistentis, vires frangit.

## §. 579.

Sellae obstetricales vulgares (§. 288. sq.) & lectulus Siegmundinianus (§. 293.) in usum vocari penitus nequeunt.

## §. 580.

Urbanitati & operatoris commodo feruit, si

- α) Linteum lectum tegens ad terram vsque propendet.
- β) Ante lectum labrum immundities recipiens collocatur.
- γ) Linteum aliud parturientem ad pedes extremos vsque contegit.
- δ) Operator, vestimentorum superioribus exutis, linteo vel pallio quodam contra immundities se munit.
- ε) Omnis instrumentorum apparatus, a parturientis visu remotus, ad manus est.
- ζ) Matrem & foetum reficientia praesto sunt.
- η) Paratus est minister, necessaria porrecturus.
- θ) Operator inter genua parturientis confidet.

## §. 581.



## §. 581.

- Antequam medicus operationem incipiat,
- α) Prognosi debita & ancipiti suae famae consulat.
  - β) Nulli tamen parturientium, rebus etiam iamiam conclamatis, suam operam deneget.
  - γ) Sub ipsa operatione animi fortitudine & patientia non destituatur, summa licet impedimenta, & minime praeuisa offerantur.
  - δ) Misellam prius non relinquat, quam ab ipsa foetus solutus sit.
  - ε) Foetum, mortuum licet, integrum tamen protrahere experiatur.
  - ζ) Parturiens nullo nec corporis, nec nixuum motu agitetur.

## §. 582.

Parturiente collocata sequentia fiant.

- α) Quo facilius manus in vterum pergat, eiusdem dorsum pinguedine inungitur. Palma firmiter pedes comprehendit, si aspera manet, quare haec non inungitur, nimis etiam, quam par est, ab humoribus vterinis humectanda.
- β) Quodsi ficcius est vaginae orificium, pinguedine quadam emollitur, & crines introitum forsan obtegentes remouentur.

γ)



- γ) Manus intra vterum fertur methodo supra (S. 347.) descripta.
- δ) Vaginae & vteri strictius orificium repetita manus agitatione ampliatur.

## S. 583.

## Manus in vterum demissa

- α) Inter foetum & velamenta progreditur, foetus corpusculum nunquam deserit, stipatissime sequens ductum thoracis atque abdominis.
- β) Matricem forsan arctius circum foetum contractam dorso leniter remouet.
- γ) Ne pedum loco manus arripiantur, medicus sibi cauet; quam quidem differentiam & ipse harum partium habitus & ductus corpusculi ad pedes optime suppeditat.
- δ) Pedum situs accuratissime notatur: qui abdomini incumbunt recta via attrahuntur; qui vero dorso, priusquam ducantur, in abdomen reuoluuntur: siquidem dorsum in posteriorem partem flecti nequit (S. 78.).
- e) Modo vnus pedis ope foetus extrahi potest; modo altero iuncto vterque prehendi debet, cauendo, ne alia quaedam corporis pars inter crura capiatur.



§) Pes alter, in vteri forsan substantia defixus, prius solui debet, quam alter foetum trahat.

§. 584.

Quantocius fieri potest, haec operatio suscipiatur, ipsoque eo momento, quo velamenta rumpuntur, si quidem praesens fuerit medicus. Quin imo & ipsa quandoque velamenta discerpere conuenit. Dicto enim tempore vterus circum foetum nondum arte constrictus, & intra orificium pars praeuia nondum intrusa est.

§. 585.

Simulatque operatio perfecta est, infans omni cura examinandus, atque vitiis, ex ipsa operatione forsan natis, prospiciendum est.

§. 586.

Eaedem causae, quae foetum in partu interficiunt (§. 391.), eundem maxime debilitant, si quidem minori in gradu agunt, & capitis a corpore auulsio (l. c. n<sup>o</sup>. k.) excipitur.

§. 587.

Debilis autem infans cito refici debet, cui fini sequentia inferuiunt.

a) Linteis vino calido succidis caput, thorax & abdomen conteguntur: haec lintea aliis ficcis,



siccis, calidis velantur; ipse infans calore externo rite fouetur.

β) Varia ratione irritatur, spiritus in os inflatione; calcaneorum, quae peniculi ope optime fit, titillatione; graui odore, qualis a cepa dissecta, vel spiritu quodam chemico excitatur, naribus admoto; vini in faciem & os adspersione; vini cum butyro remixti modica instillatione & similibus.

γ) Hisce peractis vltius reficitur, viresque confirmantur modica vini aqua maritati copia & iusculis non salitis, alternis viribus exhibitis, donec vires vberi trahendo suffecerint.

§. 588.

Facies ex contusione inflata, & pes ex faciae compressione liuidus, linteis vino calido, vulnerario, succidis velantur. Ita facili opera malum curatur.

§. 589.

Idem fiat, quando pes vel brachium fractum fuerit. Sua sponte & intra breue temporis spatium fractura coalescit, si modo in debito situ membrum collocatum & quietum seruetur.



## §. 590.

Euenit etiam, vt peluis infantis, quippe quae mollioribus cartilaginibus iuncta est, propter extractionem, quae pedibus fit, in vno latere depressa magis deprehendatur, quam in altero, praecipue si vnus pedis ope infans extractus fuerit.

## §. 591.

Vnus pes altero longior manet, nisi peluis mox reducatur; quod quidem fasciae ope perficitur, qua genu cruris longioris ad humerum firmatur & sursum sensim trahitur.

## §. 592.

Simili penitus ratione spina dorfi in alterutrum latus curuari potest, si ab imperita obstetrice brachium attrahitur vel, si vno brachio soluto, alterum remanet, & nihilominus foetus corpusculum trahitur.

## §. 593.

Vnum brachium altero longius manet, nisi spina curuata mox reponatur; quod quidem manuali compressione & fasciae inuoluentis ope optime peragitur.

## §. 594.


Luxatur etiam humerus, femur, maxilla inferior. Omnis in repositione cunctatio absit,  
fi



si quidem concretioni partium praeuenterere animus est.

§. 595.

Maxilla in primis luxatur, quando digiti in os demissione caput extrahitur. Ob eandem etiam rationem ad symphyfin frangitur. Cura esto supra (§. 589.) tradita.



## CAP. XVIII.

### SECT. II.

## AGRIPPARVM PARTVS.

§. 596.

Quando foetus pedes primi ad orificium decidunt, *partus agripparum* oritur.

§. 597.

Difficillimam quidem aegerrimamque hanc partus speciem veteres habuerunt; saepius tamen non ita reformidanda est, si vterque pes excidit & cuncta partus optimi (§. 202.) requisita, praeter foetus habitum, quo in pedes est conuersus, adsunt. Tametsi enim natura rarius istum absoluit, facili tamen medici, pedes attrahentis, opera perficitur.



## §. 598.

Natura huic negotio sufficit, sicubi peluis ampla est, foetus minor, pedum plantae iunctae, & lata superficie sua orificio vteri oppositae, vis dolorum efficax, velamenta rupturae diu resistentia. Siquidem haec sola orificii vterini diductionem vsque eo perficiant oportet, vt integro foetui via pateat.

## §. 599.

Quo plura vero descriptorum momentorum deficiunt, eo plus difficultatis alit hic partus atque summam medici prudentiam moderationemque desiderat.

## §. 600.

Praesagiunt hunc partum primum generalia partus, ob aliam corporis partem praeter caput praeuiam, praeternaturalis signa, quae sunt sequentia.

- α) Capitis pondus vltimis grauiditatis mensibus digito exploranti non offertur:
- β) Doloribus accedentibus in vteri orificium nihil vt plurimum praeter vesicam nititur.
- γ) Tardius, propter debiliorem pressionem, orificium aperitur.

δ)



δ) In latam superficiem vesica non expanditur, sed mox transuersam rimae diductae formam aemulatur; mox longior propendet.

Nates praeuiaae aliquam exceptionem admittunt.

§. 601.

Specialius pedes denotantur

α) Incerto signo, manibus communi, quando particulae quaedam minores per velamenta tanguntur.

β) Certissime vero velamentis disruptis, pes distinguitur; digitis suis, qui manuum digitis breuiore sunt; pollice, reliquis digitis continuo; calcaneo, multum prominente; malleolis ad vtrumque latus eminentibus.

§. 602.

Quodsi vterque pes ad orificium decidit, sequenti ratione foetus extrahitur.

α) Ambo pedes simul ea ratione recipiuntur, vt digitus medius inter vtrumque pedem haereat; vnum index, alterum annularis, supra malleolos, ne gliscere possint, comprehendat.

β) Linea axin peluis sequente trahuntur donec furae nudatae sint.



- γ) Quavis fura linteo sicco, calefacto, molli, prehensa, supra genua foetus deuoluitur.
- δ) Vtrum funiculus vmbilicalis inter femora transeat, dispicitur. Quodsi tale est, pars funiculi, placentam respiciens, attrahitur, genu flectitur, funiculus circa illud volutus solvitur.
- ε) Solutus funiculus ad latus dimouetur, & manu ne comprimatur, a medico cauetur.
- ς) Foetus supra genitalia porro, genibus dicta (n<sup>o</sup>. γ.) ratione prehensis, educitur.
- ζ) Pedum tunc digiti si ossi sacro obuertantur, foetus abdomini incumbens recte situs est: quodsi vero sursum vergant, dorso foetus incumbens in abdomen reuolui debet. Quod vt rite fiat.
- θ) Vnius manus palma pubi foetus imponitur, alterius vero lumbis, & vnita earum opera foetus reuoluitur.
- ι) Hoc peracto inguina, linteo sicco & calefacto munita, in peluis axi attrahuntur, & parturiens nixibus voluntariis hanc educationem iuuat.
- κ) Foetu sub axillas vsque educto, brachia non soluuntur sed, hinc inde foetum agitando



tando, medicus brachia vna cum capite vlt-  
terius producere experitur. Parturiens ni-  
xus voluntarios vtiliter addit.

§. 603.

Quodsi vero caput prodire nequit, manus  
offis sacri ductu in vterum demissa, in causam  
impedimenti inquirat: quod quidem triplex  
esse solet, vel nimis magnum caput, vel ini-  
que locatum, vel brachia decussatim sita.

§. 604.

Capitis nimia moles accusanda est, quando  
facies os sacrum respicit, & capitis tempora  
brachia sequuntur.

§. 605.

Quo melius eiusmodi caput soluatur,

- a) Bini manus demissae (§. 603.) digiti, in  
os inieci, maxillam inferiorem recipiant.
- β) Altera manus supra humeros ita feratur, vt  
ad vtramque colli regionem bini digiti hu-  
meros comprehendant.
- γ) Foetu ita prehenso parturiens nixus edat.
- δ) Eodem autem tempore medicus hinc inde  
agitando vtriusque manus ope foetum attra-  
here experiatur.



## §. 606.

Quando vero hisce artificiis caput protrahi non potest, sequentium periculum est faciendum.

- a) Maxilla inferior modo (§. pr.) dicto apprehenditur.
- β) Minister genua foetus continens, ipsum versus parturientis pubem eleuat.
- γ) Medicus alteram manum, quoad fieri licet, supra foetus occiput promouet.
- δ) Tunc vnita opera non solum occiput deprimat, sed & inferiorem maxillam ad ostium vaginae protrahit, ita vt integra facies in conspectum prodeat.
- ε) Hisce peractis medicus aequae ac minister capitis vltiorem liberationem moderata agitatione tentant.

## §. 607.

Denique si nihil omnino ex hactenus propositis ad protrahendum caput suffecerit, pro uti quidem accidere solet, si capitis moles pelvis apertura maior est, vnicum auxilium superest, si

- α) brachia soluuntur.
- β) cranio aperto in occipitis regione, cerebroque effuso, caput extenuatur.



- γ) Tunc demum digiti manus in vterum demissae orbitis iniiciuntur &  
 δ) Methodo (§. pr.) descripta caput liberatur.

## §. 608.

Quoties brachia, quae tempora sequi deberent, decussatim se inuicem incumbentia capitis liberationem impediunt, soluenda sunt modo supra (§. 533.) tradito, si prius foetus corpusculum, vt eo liberius manus in vterum penetret, in oppositum soluendo brachio latus, quoad fieri licet, dimotum fuerit.

## §. 609.

Brachiis solutis fieri quandoque solet, vt ostium vaginae circum collum constringatur. Digitis vero sensim interpositis facile relaxatur.

## §. 610.

Facies vitiose composita vel in alterutrum latus vergitur, vel superiora respicit, ita vt mentum ossi pubis inhaereat.

## §. 611.

Quando facies in alterutrum latus vergitur,  
 α) Illuc, vbi facies haeret, manus demittatur.  
 β) Bini digiti ori iniiciantur.

γ)



γ) Horumque ope facies versus os sacrum deprimatur.

§. 612

Quando mentum ossi pubis inhaeret,

α) Foetus circa thoracem comprehensus, quoad fieri licet, in peluim, vt mentum a pube recedat, refundatur.

β) Supinus iacens dicta (§. pr.) ratione inuertitur.

§. 613.

Accidit autem, vt inuersionem corporis supra (§. 602. n<sup>o</sup>. 9.) descriptam caput non sequatur; quare mentum ad ossa pubis fixum haeret, tametsi in abdomen foetus conuersus sit. Collum propterea distorquetur & minime indifferens est, in quamnam plagam facies deprimatur, sed in istam deuoluenda est, ex qua deorta fuit; quod quidem a collo maxime tenso determinatur.

§. 614.

Sicubi vnicus pes exitum molitur, sequentibus artificiis vti conuenit.

α) Pes prolapsus paulisper repelli debet, vt reliquus, ossi forsan inhaerens, soluatur.

Quodsi



Quodsi ipso eo tempore, quo velamenta dirumpuntur, praesens est medicus, vltiorem praeuii pedis prolapsum impedire potest.

β) Manus, pollice prolapsi pedis duce, in vaginam ad genu vsque demittitur, ibidemque praesens forsan pes alter, supra malleolos prehensus, educitur priorique apponitur.

γ) Pede vero altero non obuio periculum faciendum est, vtrum vnico pede foetus extrahi possit, an minus. Illud quidem succedere solet, quoties in abdomen vel dorsum pes reuolutus est.

δ) Cum primum inguina apparent, residuus pes facili opera, digiti in plicam insertione, soluitur.

§. 615.

Quodsi vero pedem vnicum attractum foetus non sequitur, obstaculum, quod iniquus alterius pedis situs obiicit, violentia vinci nequit, sed moderata pedis solutione femoueri debet. Quae vt rite peragatur, sequentia medicus notato.

α) Pedem delapsum fascia supra malleolos circumducta contineto.

β)



- β) Eundem, vt reliquus facilius solui queat, paulisper repellito.
- γ) Pollice praeuii pedis duce manum ita ad malleolos residui pedis vsque promoueto, vt auersa pars prolapsam pedem respiciat.
- δ) Binis digitis supra malleolos residuum pedemprehendito.
- ε) Eundem versus corpusculum ex parte, cui infixus haeret, retrahito, penitusque educito.
- ζ) Fascia arrepta, quem forte foetus recepit priorem pedem, iungito.
- η) Negotii reliquum, vt supra (§. 602.) praecipitum fuit, perficito.



## CAPVT XVIII.

### SECT. III.

# PARTVS DIFFICILIS ET PRAE- TERNATVRALIS OB GE- NVA AD OS VTERI CONVERSA.

#### §. 616.

Quando corpus quoddam durum, rotundum, ad vtrumque latus planum, pone se plicam recondens, orificio vteri opponitur, genu vel cubitus praeuius denotatur. Differentiam determinant condyli prominentes magis in cubito, & patella in genu mobilis.

#### §. 617.

Genu vero delapsum esse vterius constat, quando operator manum adusque extremitatem partis praeuiaae promouet, atque pedi extremo occurrit (§. 601.): quem etiam, vt operatio citius peragatur, supra malleolos prehendit, ad latus dimouet, extrahit, partumque sectione praecedente descriptum efficit.

#### §. 618.

Ipsa non raro natura genu, praecipue quando vtrumque in vtero decidit, exprimit.

CAP.



## CAPVT XVIII.

## SECT. IV.

PARTVS DIFFICILIS ET PRAE-  
TERNATVRALIS PROPTER  
CLVNES AD OS VTERI  
CONVERSAS.

§. 619.

**F**oetus vel in vtero recto, vel in obliquo  
in clunes esse conuersus potest.

§. 620.

Quoties in vtero recto clunes deuoluuntur,  
caput fere praeuium mentiuntur ignarasque de-  
cipiunt. Nates enim in vteri orificium impul-  
si, duriores sunt, prominent, eoque magis,  
quo maiori vi post lymphatici liquoris effluxum  
a doloribus fuerint compressae.

§. 621.

Dignoscuntur autem

- α) Ex intestini recti apertura in longa valle me-  
dia, cuius vallis alterum extremum genita-  
lia terminant, alterum os coccygis.

β)



- β) Intestini recti apertura ab illa oris distinguitur, quod haec latius hiet, linguamque atque maxillas recondat (cf. §. 514.).
- γ) Meconium crassum, fuscum, tenax, digitis adhaerens, minus foetens, ex parte oblata profluens, idem confirmat.
- δ) Quodsi digiti explorantes ulterius progredi possunt, extremitates inferiores, cum natis perpetuae, distinctionis certitudinem absoluunt.

## §. 622.

Partus hic descripto (Cap. VIII.) facili penitus similis est, quoties ampla est pelvis & minor foetus. Quapropter etiam aquea vesica, a doloribus ad os vteri depulsa in latam superficiem expanditur, quae in reliquis partus speciebus, quibus foetus in aliam, praeter caput, partem conuersus est, oblonga utplurimum deprehenditur (cf. §. 600. n<sup>o</sup>. δ.). Facili quoque opera vteri orificium aperitur, foetusque excidit.

## §. 623.

Quotiescunque vero vel pelvis angustior est, vel foetus maior, nates, femoribus reflexis, aegerrime aperturam pelvis transeunt,



quam volumine suo excedunt: quapropter vis maxima dolorum, saepiusque repetita requiritur. Femora etiam, ventri apposita, abdomen violenter comprimunt, meconium exprimunt, sanguinis circulum, vasis angustatis, retardant.

§. 624.

Si quando medicus iam ante velamentorum ruptionem praesens fuerit, praestat utique manus opera partum absolueret, quam incerta benigni euentus naturalis (§. 622.) spe demulceri. Quocirca

- a) Eodem momento, quo liquor amnii profluit, manum medicus in vterum demittat.
- β) Vtrumque successiue pedem supra malleolosprehendat.
- γ) Ad latus reuolutum educat.
- δ) Partum absoluat (§. 602.).

§. 625.

Quodsi vero ferius, vtero iam arctius nati- bus appresso, medicus accesserit, atque dolorum vis viguerit, fatius est negotium naturae committere, quam vterum violenta distensione agitare. Id vero agat medicus, ut

- a) Perinaeo atque osse coccygis represso, inferiorem peluis aperturam ampliorem reddat.

β)



β) Cum primum inguina apparent, vno alteroue digito, instar vnci incuruo, vtrinque pliam prehendam, foetumque eodem tempore gnauiter extrahat, quo dolorum vis eundem expellit.

§. 626.

Sicubi forte dolorum actio penitus remisit, vel, ob debilem parturientem, debilior est, aspera manus in vterum, vt pedes arripiantur, penetratio omnino praeferenda videtur oscitanti negligentiae, qua nihil agendo parturiens, vna cum suo foetu, certae morti praedae est.

§. 627.

Quodsi clunes in vtero obliquo deuoluuntur, vna natum ad orificium vteri compellitur, altera peluis orae infidet.

§. 628.

Eiusmodi partum à natura absolui non posse facile patet, quod natum alteram infidentem vis dolorum vltius ad os peluis compellit atque in tumorem eleuat. Multo minus naturae efficacia expectari debet, quando, propter obstaculum non vincendum, dolores penitus cessant.



## §. 629.

Melius itaque parturientis rebus consulitur, si quamprimum, manu in vterum demissa, & pedis propinguioris fura prehensa, pes educitur atque, dum educimus, ad oppositum latus dimouetur, vt altera natum inhaerens soluatur. Tunc partum obtinemus agrippæ, vnico pede praeuio. Eo fine fura prehenditur, vt maiori vi, absque fracturæ metu, foetus moueri possit.

## §. 630.

Accidit etiam, vt altera natum ossibus pubis insideat, altera ossi sacro. Quo quidem in casu, breuissimo consilio, pedes quaeruntur, foetusque in abdomen reponitur.





## CAP. XVIII.

## SECT. V.

PARTVS PRAETERNATVRALIS  
PROPTER FOETVM IN ILIA  
CONVERSVM.

## §. 631.

**A**egrius ilia praeuia dignoscuntur, nec nisi a partibus ipsis perpetuis, natibus puta, genitalibus, lumbis &c.

## §. 632.

Auxilium non est, nisi in educatione, quae pedibus fit, facili opera absoluenda, si liquor amnii nondum omnis effluxit; siquidem pedes propinguios sine difficultateprehenduntur.

## §. 633.

Aegerrime vero haec operatio perficitur, si vterus iam circum foetum constrictus est. Sibi tamen medicus caueat, ne propter grauiora impedimenta naturae relinquat partum, quem nunquam absoluere potest.



❁ ❁ ❁ ❁ ❁

CAP. XVIII.

SECT. VI.

PARTVS DIFFICILIS ET PRAE-  
TERNATVRALIS OB MANVM  
AD OS VTERI CON-  
VERSAM.

§. 634.

**P**raeuia manus vel sola excidit, vel cum capite, vel cum alia quadam corporis parte.

§. 635.

A natura quandoque hic partus absoluitur, si capiti iuncta manus excidit. Quoties vero sola vel cum alia corporis parte prolabitur, ars negotium gerat oportet.

§. 636.

Quando itaque in vtero recto caput praeuium est & sola manus extrema capiti adiacet, tantillum est spatium, quod manus occupat, vt tuto naturae relinqui hic partus possit.

§. 637.

Quodsi vero situs vteri obliquus est, ab initio quidem, antequam velamenta rumpuntur,  
per



per haec ipsa sola manus extrema ante caput tangitur; post liquoris autem amnii effluxum, integrum brachium a laborum actione protruditur, caput ad latus dimouetur, magisque fit obliquum. Quare naturalis dolorum actio plus nocet, quam proficit, nullumque, nisi artis auxilium, residuum est.

## §. 638.

Caput etiam ex axi dimouetur, quando in vtero recto cum eodem integrum brachium prolabitur. Hoc itaque casu artificis etiam opera requiritur.

## §. 639.

Cubiti ratio eadem est, quae integri brachii, quoniam idem a dolorum impulsu totus expellitur. Quodsi brachium anterius supra humerum reflexum manet, spatium magis angustatur, situsque peior censendus est.

## §. 640.

Si qua funiculus, prouti saepius euenire solet, simul excidit, tantum abest, vt partus negotium naturae committi possit, vt potius citissime infans extrahendus sit ne, funiculo a capite compresso, foetus internecetur.



## §. 641.

Dictis itaque (§. 637. sqq.) casibus, foetus pedibus extrahi debet (S. I. & II.).

## §. 642.

Accidit autem, ut pedes (vel pedem) attractos corpus non sequatur, quod caput ossi fixum inhaeret. Quo quidem casu, ut eo melius caput solui possit,

- a) Vni vel utrique pedi fascia circumponatur.
- β) Vna manu, extra vterum, fascia attrahatur.
- γ) Altera vero, intra vterum, foetus repellatur (cf. §. 501. n<sup>o</sup>. γ.).

## §. 643.

Superfluo & noxio conamine manum in vterum refundere tentant ignarae: sua enim sponte recedit, simulatque foetus in pedes conuersus extrahitur.

## §. 644.

Neque etiam brachium, nisi summa urgeat necessitas, resecari debet. Foetum viuum haec resectio misere mutilat, mortui ingratiorem aspectum reddit.

## §. 645.



## §. 645.

Quoties ambo pedes prehendi possunt, faciliori negotio foetus extrahitur; quod si vero vnicus arripitur, is, qui prolapsi brachii heteronymus est, recipi debet.

## §. 646.

Si quando pessimo omine, longa, post primum brachii prolapsum, temporis mora interposita & vterus tanta vi iam circum foetum constrictus fuerit, vt pectoris etiam pars in orificium compulsa haereat, nullaque penitus vis inter vterum & foetus corpusculum penetrare possit, in foetus dissectione vnica spes, eademque maxime anceps, superest.

## §. 647.

Quapropter sequentia medicus agat.

- a) Brachium, quam proxime humero fieri licet, linteo sicco prehensum ita contorqueat, vt humerus ex articulo suo soluatur.
- β) Thoracis atque abdominis cauitatibus apertis viscera eximat.
- γ) Vertebrae cultro incuruo praescindat.



δ) Superiorem trunci partem primam, dein & alteram eximat.

§. 648.

Accidit etiam, vt vtraeque manus simul procidant, mediumque caput complectantur.

§. 649.

Natura hunc partum absoluit, si minus est caput, recte locatum, pelvisque amplior.

§. 650.

Quoties vero pelvis angustior est, caput majus, vel oblique situm, foetus in pedes conuerti debet.

§. 651.

Quando dolorum actio caput firmiter in peluim ita depressit, vt omne ad pedes iter interceptum sit, ipsum caput, post cranii euacuationem, extrahendum est.



## CAP. XVIII.

## SECT. VII.

PARTVS PRAETERNATVRALIS  
PROPTER FOETVM IN  
TRANSVERSVM IA-  
CENTEM.

## §. 652.

Quando foetus in transuersum iacet, ad orificium varia membra delabi possunt, nempe

- |              |                  |
|--------------|------------------|
| a) Collum.   | e) Pectus.       |
| β) Humerus.  | ζ) Abdomen.      |
| γ) Scapula.  | η) Hypochondria. |
| δ) Brachium. | θ) Dorsum.       |

## §. 653.

Vt plurimum etiam funiculus vmbilicalis simul ita prolabitur, vt pone orificium, praeter eundem, sola liquoris amnii vesica, (§. 600. n. β.) antequam velamenta rumpuntur, contingi possit.

## §. 654.

1°. *Collum* ex se ipso fere nequit cognosci, sed ex partibus ipsi perpetuis, mento nempe, facie, auribus, nucha, occipite, scapula, clauicula, vertebrae.

## §. 655.



## §. 655.

Quodsi per longam temporis moram col-  
lum in orificium depulsum fuerit, extenditur,  
vasa comprimuntur, sanguinis circulus interci-  
pitur, foetusque moritur.

## §. 656.

Quare quantocius foetus in pedes conuer-  
tatur. Quae vero conuersio si fieri nequeat,  
sternum, vt facies praeuia fiat, repelli atque  
frons deprimi debet.

## §. 657.

II°. & III°. *Humerus & Scapula* partim a pro-  
priis, partim ab ambientibus partibus, collo,  
vertebris & brachiis dignoscuntur.

## §. 658.

Partus protinus manu perfici debet, ante-  
quam dolorum vis partem praeuiam in vteri  
orificium firmiter depegerit.

## §. 659.

IV°. De *Brachio* supra explicitum fuit.

## §. 660.

V°. *Pectus*. Partes etiam perpetuae, costae-  
que in primis pectus determinant.

## §. 661.



## §. 661.

Sola foetus conuersio opem ferre potest. Quando pedes abdomini incumbunt, facillime etiam conuersionis negotium, simplici pedum apprehensione & attractione, perficitur.

## §. 662.

Si quando vero in dorsum reflectuntur, prouti frequenter euenit, sequentia notanda sunt.

- α) Manus, osse sacro duce infra foetus hypochondria ferri.
- β) Sursum reflexa superioris pedis femur prehendere.
- γ) Femur versus inferiora & operatoris carpum volui.
- δ) Foetusque solito modo extrahi debet.

## §. 663.

VI°. & VII°. *Abdominis & Hypochondriorum* eadem penitus ratio est, quae pectoris. Hoc in situ si foetus compositus est, funiculus umbilicalis fere semper excidere solet, abdomenque praeuium denotat, quando parti prolapsae perpetuus est.



## §. 664.

Rarius abdomen vel hypochondria intra vteri orificium pelluntur, quare, vt pars orificio opposita explorari queat, integra manus in vaginam demittenda est.

## §. 665.

VIII<sup>o</sup>. *Dorsum* determinant series vertebrarum, nullusque ex parte oblata vel vicina funis procedens.

## §. 666.

Quando pedes in dorsum reuoluti in propinguo sunt, istos recta via attrahere non licet, quoniam in posteriorem partem corpusculum flecti nequit; sed pedum genua prehendi debent, & pro situs ratione, (prouti nempe dorsum vel sui medio ad orificium vteri conuersum est, vel oblique sursum vergit, vel oblique deorsum) pedes modo sursum, modo deorsum voluendi sunt, vt cum iis integer foetus volui, commodeque educi queat.

## §. 667.

Quodsi hac ratione foetus non sequitur, fascia pedibus (§. 642.) circumposita extrahi debet.

## §. 668.



## §. 668.

Quoties vero pedes abdomini incumbunt, manus ductu parietis vaginae posterioris in vterum demittitur, infra hypochondria fertur & reliqua modo (§. 662.) descripto absoluuntur. Sicubi forte foetus ossi sacro appressus est, manus prope os pubis in vterum ferri debet.

## CAP. XIX.

PARTVS DIFFICILIS ET PRAE-  
TERNATVRALIS, PROPTER  
FVNICVLVM VMBILICA-  
LEM EXCIDENTEM.

## §. 669.

**F**uniculus, propter transuersum corporis situm excidens (§. 653.), vel solus prolabitur, vel cum alio quodam membro.

## §. 670.

Saepius etiam excidit, si ipse fuerit longior, & caput oblique situm. Rarius autem longior funiculus, in magna liquoris amnii copia, ante caput rectum prolabitur.

## §. 671.



## §. 671.

Quodsi vltimo hoc casu vteri orificium, antequam velamenta rumpuntur, penitus apertum sit, dolores valeant, atque cito sese excipiant, irritum est omne auxilium atque inutile. Foetus quidem debilis nascitur, facile tamen reficitur (§. 587.).

## §. 672.

Quodsi vero lente dolores procedant, vt partus expediatur, forcipe caput extrahendum est.

## §. 673.

Quando foetus transuersim situs est, recenti re pedibus extrahatur. Sub ipsa autem manus demissione funiculus in vterum refundatur, ne inter manum & corpusculum compressus patiatur.

## §. 674.


Idem fiat, quoties, capite oblique sito, funis procidit, nisi forte minori opera, in minori obliquitatis gradu, binis digitis retro caput funiculus duci, ibidemque retineri possit.

## §. 675.

Quando caput pelvis capacitatem ita iam occupat, vt versio non amplius concedatur, peri-



periculum fiat, anne funiculus ad latus dimo-  
 ueri possit? siquidem peluis capacitas ibidem  
 a capite minus repletur (§. 8.). Vt plurimum  
 autem foetus emortuus nascitur.



## CAP. XX.

### PARTVS DIFFICILIS ET PRAETERNA- TVRALIS PROPTER PLACENTAM.

#### OBLATAM.

##### §. 676.

Quamuis vteri fundo, praë reliquis partibus,  
 in situ vteri recto placenta adhaerere soleat;  
 attamen & aliis vteri partibus, quin imo ipsi  
 orificio eadem interdum inhaerens obseruatur.

##### §. 677.

Quodsi vero hoc accidit, sequentia sym-  
 ptomata notantur.

u) Quando grauida vltimis mensibus explora-  
 tur, capitis pondus digito non offertur, ta-  
 met si orificium axin peluis sequitur, sed re-  
 tro segmentum vteri inferius corpus spon-  
 giosum haerens tangitur.



β) Partu dein magis appropinquante, inopinato casu, nec vlla causa cognita, sanguinis torrens prorumpit parcior atque mox cessans.

γ) Redit dein alter, largior, diutius fluens.

δ) Redeunt tandem plures, continue largiores, per maiora temporis spatia, minora vero interualla profluentes.

ε) Quum veri iam partus dolores accedunt, fluxus fere non remittit, sed continuo riuo effluit, sanguinis grumos secum gerit, foetum sanguine & vita priuat; matrem etiam, nisi foetus vel a natura, vel ab arte excutatur, certissimo mortis periculo tradit; cuius praesagia esse solent dolores minus sensim valentes, tandem penitus cessantes, manus frigidae, oculi caligantes, pulsus debilis, frequens & intermittens, animi deliquia, frigidi sudores, neruorum distensiones.

§. 678.

Istud autem profluuium oritur ex vasis vteri & placentae, ob placentae partem vel integrum corpus solutum, hiantibus; quod quidem a diducto segmento vteri inferiori, tempore partui vicino, euenire solet. Eapropter etiam  
vehe-



vehementissimus torrens eo tempore profilit, quo dolorum actio maiori vi istam diductionem efficit. Placentae etiam spongiosum corpus ante haemorrhagiam tangitur, & saepissime firma placentae vterique, ad inferius segmentum, cohaesio in hoc partu percipi digitis potest.

## §. 679.

Placentae ab vteri fundo solutae, ad orificium delapsae, hoc mali genus tribui nequit. Equidem non perspicio, quatenam sit ista causa, quae integram placentam solueret? quatenam via, quae eandem, velamentis illaesis, ad vteri orificium duceret? sanguinis congelationem dictam (§. pr.) cohaesionem efficere sine ratione asseritur.

## §. 680.

Quotiescunque minor placentae portio orificio inhaeret, haemorrhagia modica oritur, matris & dolorum vires valentiores sunt, vterusque vna cum foetu debito modo collocatur, tuto naturae committi negotium potest.

## §. 681.

Quoties vero maior placentae portio orificium occupat, sanguinis fluxus largior est &



diuturnior, matris dolorumque vires remittunt, vterus foetusque male conuersi sunt, vtique artis opera accedat necesse est.

§. 682.

Protinus itaque foetus extrahi debet. Antequam vero id fiat, de placenta notetur.

a) Quodsi integra, soluta iam, intra vaginam haeret, manusque demissionem impedit, eximi debet.

β) Sicubi vero istam demissionem non remouatur, eo consilio relinquenda est, vt viam praecludat, qua sanguis & amnii liquor, vterum distendentes, effluere possint.

γ) Quotiescunque etiam vel integra, vel portio saltem cum vtero cohaeret, optimo pro matre & foetu consilio, remanere debet.

§. 683.

Ipsa operatio sequentibus perficitur.

a) Manus per vaginam ad vteri orificium vsque demittatur, atque quonam in loco placenta iam soluta sit exploretur.

β) Ibidem manus inseratur, orificium sensim sensimque diducatur, velamentaue, donec integra manus intromissa sit, semoueantur.

γ)



- γ) Velamenta, inter indicem & pollicem comprehensa, additoque matris nifu, discerpantur; vel acu longiori, ductu manus demissae in vterum lata, perforentur, si digitis dilacerari nequeunt.
- δ) Manus dein, per foramen inflictum protinus ad pedes vsque pergens, eosdem educat.
- ε) Quotiescunque id fieri potest, pedum calcanei palmam manus eo fine respiciant, vt abdomini incumbens foetus extrahatur.
- ζ) Si forte ad pedes vsque non amplius iter pateat, forcipe caput solui potest.
- η) Infans protractus & viuis, vna cum matre, blande nutrientibus & roborantibus refici debet (§. 587.).

## §. 684.

Sunt tamen & aliae causae, rariores, quae sanguinis fluxum tempore partus excitant. Funis vmbilicalis disruptus, ruptum vas vteri maius, placentae pars ab vtero soluta, idem efficere possunt.

## §. 685.


Istas vero causas a placenta praeuia distinguit absentia corporis spongiosi pone orificium



haerentis, fluxusque sub ipsum demum partus tempus contingens.

§. 686.

Sola etiam foetus solutio auxilium ferre potest. Si quoad caetera partus naturalis est, & matris dolorumque vires valent, in secunda & tertia specie naturalem partum promouere praestat: alias autem foetus in pedes conuerti debet.



CAP. XXI.

PARTVS DIFFICILIS ET PRAETERNATURALIS PROPTER PARTURIENTIS CONVULSIONES.

§. 687.

**P**lethora, nimia parturientis sensibilitas, immoderatus sanguinis fluxus, pertinax, propter capitis compressionem, urinae suppressio, convulsiones parturienti excitant.

§. 688.

Plethora ex propriis sibi signis generalibus, pleno in primis pulsu, ardore febrili & cognito copioso, quem femina utero non gerens experitur, menstruo fluxu dignoscitur.

§. 689.



## §. 689.

Immoderatus sanguinis fluxus se ipsam prodit.

## §. 690.

Vrinae suppressio ex defectu lotii, & dolore in regione pubis vehementiori, manifesta redditur.

## §. 691.

Nimia sensibilitas accusanda est, quoties reliquae causae deficiunt, sensiles nimis & irritabiles parturientis fibrae aliunde perspectae sunt, femina prima vice partum edit (§. 230.), iunior est, vel aetate proeecta (§. 218.), & de intolerabili cruciatu conqueritur.

## §. 692.

Dictae causae robur nanciscuntur a capite foetus nimis magno & obliquo, a liquoris amnii defectu, a praeuiis maioris foetus clunibus, a dolorum vi valente & praecipitata.

## §. 693.

Plethora venaesectione repetita imminui & refrigerantibus temperari debet.

## §. 694.

Nimiae sensibilitatis moderatio venaesectione, emollientibus, lenioribusque anodynis in-



14 PARTURIENTIS CONVULSIONES.

ternis aequae ac externis, forma cataplasmatum & iniectionum applicitis, tentari potest.

§. 695.

Suppressio urinae soluitur remoto ab ossibus pubis capite, (§. 503.) & caua fistula.

§. 696.

De haemorrhagia praecedens caput consulatur.

§. 697.

Quodsi hisce remediis convulsiones cedant, naturae partus, quoad caetera benignus, relinqui potest. Quae vero, si parum profecerint, sed convulsiones potius incrementum, dentes strident, extrema frigeant, oculi caligent, mens labatur, nares stertant, os spumet, anceps, eademque in sola foetus solutione, spes superest.

§. 698.

Satius itaque est recenti re, antequam istud malorum agmen parturientem inuadat, eamque opinione citius cum sua prole interficiat, foetum protrahere, nisi forsan a dictis remediis convulsiones temporius abigantur. Foetu enim soluto causa stimulans aufertur.

§. 699.




§. 699.

Quamvis autem optimo consilio foetus in pedes conuertatur, evenit tamen, vt forcipe caput prehendi debeat, quando strictissime iam foetum uterus ambit. E cranio maiori cerebrum effundatur. Summam animi constantiam haec operatio requirit.

§. 700.

Soluto licet foetu, de matre, si convulsiones pergunt, actum est.



## CAP. XXII.

QVOMODO CAPVT INTRA MATRICEM RELICTVM EXCVTIENDVM SIT, DOCET.

§. 701.

**S**i quando foetus in pedes conuertitur, nimis magnum caput, & facie sua os sacrum non respiciens, ad exitum ita retinetur, vt summa medici prudentia ad illud extrahendum requiratur (§. 603. sqq.). Quodsi vero sine moderatione ista eductio violenter fiat, partes caput ad



cervicem, vel ipsas cervicis vertebrae firman-  
tes, ita lacerantur, vt caput intra matricem  
remaneat, truncusque solus solutus fit.

## §. 702.

Dicta disruptio facillime, peritissimus li-  
cet operetur, accidit, quando, putrido iam  
foetu, ligamenta minus firmis fibris cohaerent.  
Eadem fibrarum laxitas in abortu & foetu prae-  
mature obtinet.

## §. 703.

Relictum caput a dolorum vi rarius extur-  
batur. Siquidem

a) Tantum abest, vt caput nimis magnum ex-  
pellere dolores possint, vt potius exclusio-  
nem eius impediunt. Quoniam enim occiput  
in propinguo est, verticis ossa, a fundo de-  
pressa, in maiorem latitudinem expanduntur  
(§. 236. n<sup>o</sup>. γ.).

β) Quoties mentum pelvis ossi inhaeret, dolo-  
rum actio idem magis apprimat, vltiorem-  
que progressum impedit.

## §. 704.

Tametsi etiam dolorum actio proficua fo-  
ret, rarissime tamen expectari potest. Etenim  
matris



matris vires a praecedente partu praeternaturali plurimam iacturam iam passae sunt, & placenta, propter vteri contractionem, soluta haemorrhagiam excitat periculosam, quaeque dolorum vim vltius debilitat, quin penitus frangit.

## §. 705.

Nunquam itaque capitis expulsio naturae tuto committi potest, sed quantocius arte caput eximi debet, antequam ex sanguinis fluxu misere mater pereat.

## §. 706.

Tantum etiam abest, vt excitantia medicamina aliquid proficiant, vt potius sanguinem ad vterum compellant fluxumque vel augeant, vel febrem accendant, vterum rigidum, inflammatumque reddant.

## §. 707.

Sola manum vel, in casu grauiori, instrumentorum opera proficua esse potest. Capitis laeuitas, figura rotunda, firmorum foraminum, quibus digiti, velut vnci iniici possint, defectus, capitis apprehensionem difficillimam reddunt. Quodsi vteri orificium valide constrictum est, difficultas augetur.

## §. 708.



## §. 708.

Ipsa operatio sequentibus artificiis optime perficitur.

- α) Semouetur infantis truncus, in vtero placenta relinquitur, deligatur funiculus.
- β) Manus, methodo (§. 347.) tradita, in vterum demittitur.
- γ) Caput inique situm ita vertitur, vt facies os sacrum respiciat.
- δ) Digiti, medius & index, in os iniiciuntur, pollex infra mentum ad occiput fertur, reliqui ad latus ita collocantur, vt firmissime caput comprehendant.
- ε) Caput comprehensum, citrà violentiam agitatatum, extrahitur. Adhibita vis non protrahit caput, sed maxillam inferiorem abrupit.

## §. 709.

Quodsi descriptum (§. pr.) artificium parum procedit, sequentia iuuant.

- α) Pollex faciei imponitur.
- β) Digiti medius & index per os ad occiput vsque feruntur.
- γ) Medius magno ossis occipitis foramini, vel vertebrarum canali, si pars adhuc residua est, iniicitur.

δ)



δ) Caput hac ratione firmiter comprehensum agitando extrahitur.

§. 710.  
Sicubi vero capitis moles tanta est, ut hoc etiam artificium irritum reddat, imminui sequenti modo debet.

α) Capitis vertex ad vteri orificium dirigitur, atque ibidem a manu demissa retinetur.

β) Methodo supra (§. 418. sq.) descripta caput ita aperitur, ut cerebrum effundatur.

γ) Cerebro effuso digiti, plagae inflictae iniecti, caput extrahunt.

δ) Quod si fieri nequit, forcipe caput prehensum educitur.

§. 711.  
Nollem caput vncis prehendere: quorum enim iniectio in caput fixum periculo plena est (§. 417.), eorum defixio in caput volubile est periculosissima. Fasciis & marsupiiis caput complecti non solum est difficillimum, quin impossibile, sed & inutile. Forcipes solae egregie quidem comprehendunt, sed absque molis immutatione.

§. 712.  
Quando caput putridum est, raro integrum, sed ut plurimum repetita manus demissione partes eiusdem eximuntur.



## CAP. XXIII.

## PARTVS GEMELLORVM.

§. 713.

**D**uo foetus, qui eodem tempore in vtero concipiuntur, *Gemelli* vocantur. Crescunt simul in vtero, eodemque partu ex vtero excuti debent. Tres quandoque foetus simul generari experientia nos docet. Rarius quater-  
no embryone, vel pluribus femina foeta est.

§. 714.

Foetuum numerus ante partum dubie cognoscitur. Embryones a suis liquoribus comprehensi ita sibi inuicem apprimuntur, vt aequaliter vterum extendant. Quare etiam frequenter feminae duos vel plures embryones in vtero aequaliter expanso gerunt, illi penitus simili, qui vnicum hospitio excipit. Frustra apud cunctas grauidas, quae gemellos gerunt, sulcus vel fouea, mediam abdominis regionem distinguens, binique monticuli ad hypochondriorum regionem eminentes quaeruntur. Quinimo eiusmodi fouea in abdomine, vnicum foetum tegente, quandoque apparet.

§. 715.



## §. 715.

Neque etiam magna abdominis moles gemellos designat. Liquoris amnii copia, foetus, atque secundae maiores abdomen eleuant. Foetus & secundae minores, cum lymphatici liquoris minori copia idem minus efficiunt.

## §. 716.

Maior foetus, valide in pluribus partibus simul motus, ad plures vteri partes, variamque abdominis regionem simul allidens, duos foetus commotos mentitur; quare iste motus dubie gemellos indicat. Quin gemelli debilius nonnunquam mouentur.

## §. 717.

Quo maior vteri moles, eo maior vasorum & abdominis compressio, eo insigniora symptomata ex ista compressione orta, varices puta, pedum tumor & genitalium, ingressus molestus, urinae incontinentia vel suppressio, digestionis vitia, spiritus aegrior & similia. Ista vero vteri moles, quod aequè vnicum foetum comprehendere potest, ac plures (§. 715.), dicta symptomata vehementiora non magis gemellos denotant, quam vnicum foetum.



## §. 718.

In vniuersum quidem non obtinet, saepe tamen accidit, vt duabus vel tribus septimanis ante grauiditatis vltimum terminum, femina multiplicem partum, minorem licet, edat. An ob vteri fibras in rectitudinem expansas, non amplius extendendas, disruptioni proximas, maxime proinde irritatas, tota vi ad suam contractionem nitentes? Ita suadere videtur obseruatio, qua primo foetu excluso, saepius dolores protinus cessant, redituri postea, quando alter foetus, segmento inferiore compresso, nouum ad partum stimulum fecit (§. 96. n<sup>o</sup>. γ.).

## §. 719.

Simplicis vteri alimentum in duplicem foetum distribuitur, sanguis multo maiori vi in vterum & in foetus non influit, quam si vnicum foetum vterus comprehendit, quapropter hic multo maiori ratione non expanditur (§. 64.). Euenit inde, vt gemelli minoris molis sint, ac vnicus foetus alio tempore ab eadem matre in lucem editus. Saepius etiam ista minor proportio propter praematuram exclusionem (§. pr.) vltcrius imminuitur.



§. 720.

Pessima itaque, quae nimia foetus moles (Cap. XVII. S. I.) gignit, mala praecauentur, quin hoc nomine gemellorum partus simplici benignior censendus est, minusque dolorosus, praecipue si vterini orificii prolapsus, qui facile iungitur (§. 565.), ab operatore rite inhibetur.

§. 721.

Panici etiam sunt isti terrores, quos omnibus fere mulierculis & multis operantium hic partus iniicere solet. Gemelli non minus in utero recto haerent, ac vnicus foetus, neque frequentius peruerse siti sunt, neque vtrique ad orificium vteri promoti se inuicem remorantur, sed vnus vt plurimum supra alterum ita collocatur, vt posterior ad vteri orificium prius non compareat, quam prior exclusus fuerit. Varia duorum foetuum membra, sibi inuicem implicita, post imperitam demum velamentorum, cuius foetui propriorum (§. 71.), disruptionem oriuntur.

§. 722.

Quapropter etiam eadem penitus ratione prioris foetus partus absoluitur, qua ille, quo



unicus prodit; neque vllum, quod de posteriore foetu suspicionem moueat, signum adest. Quando prior foetus pedibus extrahitur, manus in vterum demissa posterioris ouum quandoque contingit, ipsumque adesse cognoscit. Caueat vero sibi, ne istud ouum disrumpendo, partum praeter necessitatem multo difficiliorrem reddat.

§. 723.

Simulatque vero prioris foetus partus absolutus est, posterioris praesentia ex signis supra (§. 316. sqq.) traditis cognoscitur. Quae si adsunt, manus illico eapropter in vterum demitti debet, vt non solum posterior foetus, sed & eiusdem situs exactius dignoscatur.

§. 724.

Iste quidem situs si iniquus est, absque vlla mora, antequam vteri orificium claudatur, foetum pedibus extrahendum esse suadet. Caeterum ista operatio facillime & expectatione citius perficitur; siquidem porta a priori foetu amplissima passa est, pedes in vtero, a liquore amnii expanso, citra difficultatemprehenduntur, & nulla a capite minore (§. 720.) remora fit.



## §. 725.

Quoties vero posterioris foetus caput in axi pelvis decidit, atque dolorum actio non remittit, vel saltem post breuius interuallum redit, tuto negotium naturae committitur, atque secundus partus, quod foetus viam stratam libere ingreditur, sine vilo molesto sensu perficitur. Quodsi vero mater debilis est, & valentiorum dolorum spes minus affulget, fatius est foetum pedibus extrahere, quam incertum partum relinquere, post aliquot demum dies quandoque absoluendum.

## §. 726.

Vtroque foetu excluso, ambo funiculi, inuicem contorti, ita iungantur, vt eadem opera placenta extrahatur.

## §. 727.

Si forte ab imperito operatore, priorem foetum frustra extrahere conante, posterioris velamenta disrupta fuerint; vtique sibi caueat peritior, ne diuersos pedes arripiat: quod quidem optime praecauetur, si pedem prolapsum fascia applicita notat, atque eius pollice duce ad vsque genitalia pergat, ab illis ad malleolos alterius pedis redeundo.





## CAPVT XXIII.

## A B O R T V S.

§. 728.

**Q**ui inter septimi & noni mensis, a prima conceptione, finem contingit *partus*, *praematurus* vocatur; *Abortus* vero, quando ante dictum tempus embryo excidit: id quod circa tertium grauiditatis mensem vt plurimum accidit.

§. 729.

Vitalem esse praematurum foetum observatio nos docet, embryonem autem non manere superstitem constat.

§. 730.

Eadem vteri contractio, quae maturum partum absoluit, praematurum etiam atque abortum concitat.

§. 731.

Duplex autem causa facit, vt vterus ante debitum tempus contrahatur.

**I**ma. *Disponens*, quae in ipsa matrice praesens est, ipsius habitum ita parat, vt accedenti stimulo facile obediant fibrae motrices.

IIda.



*Ilda. Occasionalis*, ipsum ad matricem stimulum defert, vel causam vterum extendentem remouet (§. 91.).

## §. 732.

Solent quidem istae causae ut plurimum ab inuicem differre, quandoque tamen vna eademque causa vtriusque vices gerere potest.

## §. 733.

Mox etiam sine medio in ipsam vteri vim contrahendi agunt, mox placentam primum ab vtero soluendo huius contractionem excitant. Duplex exinde abortus species oritur,

α) Alia cum praecedente placentae solutione accidit.

β) Alia fit sine eadem.

## §. 734.

Quo maioris autem momenti est causa disponens, eo debilior occasionalis esse potest, ut abortus prouocetur, & contra.

## §. 735.

Euenit exinde, ut aliae feminae ad abortum sint maxime proclives, aliae immunes maneant, quamuis maximo eiusdem periculo se se inconsulto exponant.



## §. 736.

Sequentia autem ad abortum disponunt.

- 1°. Uterus, qui propter suum habitum ultra determinatum quendam gradum extendi nequit, abortumque periodicum facit.
- 2°. Uterus, qui a leuissima mutatione ita afficitur, ut mox in sui contractionem ruat.
- 3°. Foetus nutrimentum deficiens, quo fit, ut cum utero placenta laxius cohaereat, in iustam molem foetus non excrescat, & utero non satis resistat, ita ut hic leuissimam irritationem sequi possit. Huc & foetus mortuus spectat.
- 4°. Plethora, ad uterum delata, vasa distendit, nervos comprimit, laceffit; commotaplacentae nexum soluit, sanguinique effluxum concedit.

## §. 737.

Causae occasionales sunt,

- a) Externae violentiae matri illatae, quae uterum partim ad contractionem proritant, partim vehementius sanguinem ad ipsum ita determinant, ut placenta soluatur.
- β) Morbi varii, quales febris, praecipue acuta, maxime inflammatoria; dolorifici; convulsiui; affectus animi vehementiores; molimina fluxus menstrui.



## §. 738.

Causae rariores esse possunt,

- α) Funiculus umbilicalis vel nimis brevis, vel circa foetum varie contortus: vegetus enim embryonis motus partem placentae soluere, sanguinisque fluxum excitare potest.
- β) Vteri vulnus, quod dolore suo & sanguinis fluxu eundem ad contractionem stimulat.
- γ) Vteri morbus localis, tumor, vlcus, sarcoma. Dolor ex inaequali fibrarum tensione ortus vterum, aegrius extendendum, laceffit.
- δ) Placentae & funiculi umbilicalis morbi, qui foetum nutrimento priuant.

## §. 739.

Impio saepius consilio embryonem arte excutere puellae corruptae student. Verum enimvero si causa disponens (§. 736.) non adest, frustra maximoque cum sanitatis dispendio, externis violentiis corpus exercent. Quin ipse abortus, si forsan violenter excitatur, maiori periculo fit, quam qui sua sponte euenit.

## §. 740.

Cognoscitur abortus ex cognita causa occasionali, horripilatione, extremorum refrigeratione, doloribus praesagientibus, veris, suc-



cessiue crescentibus, orificio vteri sensim aperto magis & tenui, non autem deterfo, vesicula prominente, liquoris effluxu, corpusculo protruso. Quin omnia quandoque partus symptomata iunguntur.

§. 741.

Quoties placentae solutio concurrit, sanguinis fluxus dicta (§. pr.) symptomata praecedit & comitatur, largo, per interualla interrupto, vehementia & coloris splendore continue aucto, riuo prorumpens: congelati dein sanguinis grumi excernuntur, tandemque largissimus torrens effunditur.

§. 742.

Sanguinis hoc profluum a menstruo fluxu sequentibus fere signis dignoscitur.

- a) Menstruus fluxus tempore solito apparet; quae abortum praecedit haemorrhagia huic periodo non exacte adstringitur.
- β) Parcior est idem.
- γ) Nullus liquor a sanguine diuersus, nullaque corpora fibrosa cum eodem excernuntur, prouti in abortu fieri solet.
- δ) Lente & sine doloris ad partum sensu profluit menstruorum fluxus.



- e) Orificium vteri non aperitur ad interiorem vsque aperturam.
- §) Neque, quae abortum prouocet, causa occasionalis praegressa est.

## §. 743.

Abortus euentum praefagiunt sequentia.

- 1) Qui cum sanguinis profluuiò contingunt abortus, frequentiores sunt simplicibus, iidemque periculo pleniores.
- 2) Quoties femina vtero gerens haemorrhagiam patitur, atque accedunt frigus extremorum, pulsus debilis, celer, intermittens, oculorum caligo, aurium susurrus, praecordiorum anxietates, animi deliquia frequentiora, sudor frigidus, motus conuulsui, certa mors insequitur.
- 3) Quodsi haemorrhagia nimium durauerit, mater vel mox post foetum exclusum, vel hectico tandem morbo consumpta moritur, vel debilis atque valetudinaria manet, quamuis embryo extractus fuerit.
- 4) Abortus in febre continua, maxime inflammatoria contingens, fere semper est lethalis.
- 5) Difficilius placenta in abortu soluitur, quam in partu maturo (§. 340.).



## §. 744.

Quodsi femina abortum timet atque dolores ad partum sentit, eosdemque solos, sine alio symptomate vrgente, abortum quandoque praecauere potest, si in lecto quieta manet, ex venaefectione, eademque repetita, sanguinem amittit, atque tutiora anodyna varia forma recipit. Exulent adstringentia superflua & noxia.

## §. 745.

Quum vero dolores, hisce non obstantibus, feminae molesti esse pergunt, vehementia augentur, quin omnia partus symptomata accedunt, nihil abortum impedire potest: quare abortum femina promoueat, nixus addat, reliquumque, nisi maligna symptomata, maximeque sanguinis fluxus iungantur, & nisi velamenta iam disrupta fuerint, naturae negotium relinquat. Hac ratione integrum quandoque ovum excernitur.

## §. 746.

Quodsi velamenta iam disrupta & caput praeuium fuerit, partus etiam a sola natura optime perficitur.

## §. 747.

Cum vero alia quaedam corpusculi pars ad orificium delapsa fuerit, pedibus prehensis embryo



bryo educi debet, si quidem medium grauiditatis terminum femina superauit.

§. 748.

Simulatque integrum corpusculum solutum est, caueat sibi medicus, ne caput abruptum intra matricem relinquat, sed caute digitum vnus manus in os iniiciat, altera manu summum humerumprehendat, brachia propter minus volumen non resistentia, ad caput relinquat, hacque ratione ipsum caput soluat.

§. 749.

Qui vero medium terminum nondum attingit embryo aequè capite, ac pedibus extrahi potest, pro ratione partis oblatae atque operatoris commodi. Bini, pluresue quandoque digiti operi sufficiunt.

§. 750.

Cum primum corpusculum solutum est, bini digiti, velut vnci, integrum embryonis caput comprehendant & exprimant.

§. 751.

Placenta funiculi ope nunquam extrahi (§. 360.), sed leuiter funiculus tendi, atque placenta deglubi debet. In abortu minore quidam



dam digiti foli id perficere possunt (cf. vtiq̄ue Cap. XV.).

§. 752.

Quo melius autem placenta solvatur sequentia fiant.

- α) Binis digitis in orificium demissis, postquam decorticata est, placentaprehendatur & adducatur.
- β) Dein rursus altiusprehendatur successiue & attrahatur, donec soluta sit.

Quae nimis praecipitanter educitur, disrumpitur.

§. 753.

Quoties haemorrhagia abortum comitatur, toties artis ope perfici partus debet, nisi remedia (§. 744.) istum sistunt, vel sua sponte embryonem mox prorupturum esse dolorum vehementia & vesiculae protuberantia spondent.

§. 754.

Integrum quidem ouulum protrahere experiatur medicus, si iunior fuerit abortus, quare

- α) Binis digitis vteri orificium diducat.
- β) Iisdem ouulum prehensum paulisper attrahat.

γ)



γ) Successiue altius idemprehendat atque trahat (§. 752. n<sup>o</sup>. β.), donec integrum solutum sit.

§. 755.

Causae disponentes aequae ac occasionales, quiete, debita diaeta, suis periodis instituta venae sectione, suaque peculiari, ex pathologia cognoscenda, methodo euitari & tolli debent.

CAP. XXIV.

SECT. I.

M O L A.

§. 756.

**P**raeter verum embryonem varia etiam alia corpora in vtero contineri atque grauiditatem mentiri possunt, quorum

α) Alia *Fixa* sunt atque cum vteri substantia vnum perpetuum corpus efformant: quo varii vteri tumores & polypi spectant.

β) Alia *Libera* sunt & vtero contigua: quo referri merentur aqua, flatus, ouum deforme.

§. 757.



## §. 757.

Ouum deforme, in quo partes embryonis & secundarum distingui vix possunt, *Molam* vocabimus.

## §. 758.

Eiusmodi autem corpus a foecundo conceptu originem trahere probat,

- a) Ipse eius habitus, quo plures habet & copiosiores varii generis fibras atque membranas, quales sua sponte ex sanguinis coagulo intra vterum generari nequeunt: quin vera vasa & cauum liquore plenum distinguere quandoque licet.
- β) Embryo minoris molis in isto cauo nonnunquam reperitur.
- γ) Saepius in homine aequae ac brutis vna cum vero foetu in vtero continetur.

## §. 759.

Observatae in vteris brutorum molae nos docent, easdem formari a placenta sui oui ita crescente, vt ipse embryo destruat. Idem symptomata, molam in homine comitantia, confirmant.

## §. 760.

Varia forma externa in ipsis notatur: vt plurimum aequalis est & sphaeroidea ex compressio-



pressionem orificii vterini orta; saepius etiam ex variis vesiculis, membranarum ope cohaerentibus, composita.

§. 761.

Quae molam gerit femina eadem symptomata experitur ac illa, quae verum embryonem alit, nisi quod mola citius ac embryo crescat, abdomenque proinde & mammae citius ac embryo expandat: quare abdomen a compressionem dolet, vires corporis & pedum praecipue deficient, aliaque incommoda feminam afficiunt. Reliqua, quae pro mola discernenda signa traduntur, dubia non solum sunt, sed & pleraque falsa.

§. 762.

Molae raro ultra quartum mensem in vtero haerent: quin feminae reperiuntur, quae primo iam mense easdem periodice excernunt.

§. 763.

Eadem penitus ratione mola excernitur, qua abortus cum haemorrhagia contingens, nisi quod nulla vesicula aquea in orificio vteri tangatur, sed massa quaedam mollior atque fibrosa.

§. 764.



## §. 764.

Idem etiam eiusdem exclusionis euentus est (§. 743.).

## §. 765.

Simili etiam modo auxilium ferri debet.

- α) Bini nempe pluresue digiti in orificium ferantur illudque aperiant.
- β) Si mola firmiter cum vtero cohaeret, solvatur.
- γ) Eadem summo, quoad eius licet, locoprehendatur, & hinc inde agitata educatur.
- δ) Quoties frustrum prehensum tractionem sequitur, toties altius mola prehendatur, donec integra soluta sit.
- ε) Nixus simul addat femina, vel tussiat, vel pugnum inflet.

## §. 766.

Absint omnia pellentia, omniaque instrumenta; cautelae contra (Cap. XV.) traditae huc transferantur.

## §. 767.

Sibi etiam medicus caueat, ne in grauida, haemorrhagia vteri laborante, orificium vteri pro mola habeat, atque idem cum maximo feminae periculo attrahat: quod ut euitet, digi-  
tum



rum explorantem in omni ambitu circumducatur, atque probe inquiretur, vtrum pars oblata cum vteri orificio sit perpetua, an minus. Quod si non perpetua est, sed inter eam & orificium digitum interserere licet, ab orificio diuersam partem esse patet.

## §. 768.

Eadem etiam ratione digitum inter istam partem & vterum promoueat, vt cognoscat, vtrum cum vteri substantia perpetua sit pars ex orificio dependens, an minus. Isto quidem in casu polypus vteri est, qui minime attrahi debet & tractus mox dolet; hoc autem in casu mola, quae tuto solui potest.





## CAP. XXIV.

## SECT. II.

## CONCEPTVS SPVRII.

## §. 769.

**A**qua etiam, vel flatus, in vtero contenti, antequam excernuntur, eadem fere symptomatica, ac mola (§. 761.) producunt; quare vix possunt cognosci.

## §. 770.

Simulatque vero vterus, ab eiusmodi fluido haecenus extensus, contrahitur, orificiumque aperitur, fluidum expressum se ipsum prodit.

## §. 771.

Quodsi vero aqua a peculiari membrana comprehenditur, eiusdem excretio verum partum aemulatur; vesica nempe aquea a dolorum vi sensim protruditur, tandemque disrumpitur, effluit aqua, nullusque foetus insequitur.

## §. 772.

Causa mali dubia est, dubie etiam in virgine efficax, atque in solis fere virum passis obuia.

## §. 773.







minis tumor mediam regionem minus occupare solet.

§. 776.

Quoniam autem istae partes minorem nutrimenti copiam, quam vterus vasculosus, afferunt, embryones eiusmodi minoris molis sunt, & finem varium, eundemque ut plurimum ante maturum partus terminum, nanciscuntur.

- a) Alii, receptaculo suo perrupto, in matris abdomen effunduntur.
- β) Alii abscessum excitant, atque per eundem apertum frustatim quandoque exitum moliantur.
- γ) Alii exsiccantur, in osseam naturam mutantur, & per omne vitae stadium a matre geruntur.

§. 777.

Prouti euentus dubius est, ita & cognitio atque auxilium certum esse nequit. Foetum perrupto receptaculo in abdomen delapsum esse suspicio est, si

- a) Signa (§. 775.) praegressa fuerunt.
- β) Dolores in abdomine oriuntur spuriiis similes.

γ)



- γ) Idem ita vehementes sunt, ac si tumoris regio diffecaretur.
- δ) Orificium vteri immutatum manet.
- ε) Subito isti dolores cessant.
- ζ) Mater languet.
- η) Quin ruptio quaedam in abdomine auribus percipitur.

## §. 778.

Nulla autem, nisi in operatione caesarea, quae protinus super ipsum locum tumentem instituitur, spes superest. Aperto enim abdomine foetus eximi, sanguinis fluxus sisti, humoresque effusi expurgari possunt.

## §. 779.

Certa mors insequitur, quoties auxilium differtur, vel pars disrupta a sphacelo corrupta est; quo quidem in casu ipsius non solum partis, sed & reliquorum abdominis viscerum inflammatio, cum febre acuta, inflammatoria, praecedere solet.

## §. 780.

Quando foetus induratur, neque ferri potest auxilium, neque requiritur. Quam maxime etiam dubia sunt signa, istam mutationem denotantia; praeter vagos & obtusos dolores



nihil matri periculum minatur ; praestatque innocua incommoda ferre, quam anceps operationis remedium experiri.

## §. 781.

Abscessus se ipsum prodit. Praecedunt dolores (§. 777. n<sup>o</sup>. β. γ.) descripti, per intervalla remittunt & redeunt, mater variis malis affligitur, embryo receptaculum aequae ac vicina corporis integumenta comprimit: ita oritur abscessus.

## §. 782.

Ipse abscessus debito modo aperiri, partes foetus contentae sollicitè eximi, cunctis exemptis abscessus rite expurgari & consolidari debet. Quodsi parva iam adest apertura, eandem dilatare convenit.

## §. 783.

Saepe etiam accidit, ut uterus tempore partus rumpatur, foetumque in abdomen exprimat.

## §. 784.

Vteri obliquitas (§. 444. II.) causa frequentissima esse solet, simulque efficit, ut ruptio prope superiorem pelvis aperturam fiat. Quae de fundo disrupto testantur observationes mi-



nus curatae videntur. Vterus circa foetus abdomen constrictus eiusmodi ruptionem mentiri potest. Rarissime fundi disruptio possibilis est, quando vteri fundus contra naturae ordinem reliquis vteri partibus tenuior est.

§. 785.

Vterus etiam rectus dirumpi potest, quando foetus peruerse, maxime transuersim, situs & magnum est dolorum momentum.

§. 786.

Vterum autem disruptum esse, sequentia fere signa denotant.

- 1) Situs obliqui, eiusdemque speciatim qui partum praeternaturalem facit, varia adsunt phaenomena (§. 784.).
- 2) Quare spuriorum dolorum summus cruciatus parturientem diuexat.
- 3) Aliis in casibus minus conueniens, maximeque transuersus, foetus situs obseruatur (§. pr.).
- 4) Subito dolores, neque vlla causa cognita, cessant vel remittunt.
- 5) Praeuiam partem foetus vel penitus ab orificio vteri remouetur, vel ad aliquam saltem distantiam recedit.



- 6) Abdominis tumor locum mutat.
- 7) Foetus partes distinctius quandoque per integumenta dignoscuntur.
- 8) Fragor interdum auribus percipi potest.
- 9) Languet mater; animi deliquiis mox corripitur, mox conuulsionibus.
- 10) Tandem viribus penitus fractis occumbit.

## §. 787.

Quoties ea vteri obliquitas est, quae partum praeternaturalem facit, vel foetus iniqua ratione iacet, fatius est ruptioni vteri matura foetus extractione praeuertere, quam vltimum discrimen experiri.

## §. 788.

Quando sola foetus pars per vteri rupturam in abdomen delapsa fuit, reliquum vero corpusculum in vtero moratur, naturali via foetus extrahi potest.

## §. 789.

Quoties vero integer foetus, prouti frequentissime accidit, extra vteri cauitatem propulsus est, sola abdominis matura apertio matri & foetui vitam seruare potest.



## CAP. XXVI.

## PARTVS CAESAREVS.

§. 790.

**P**artus, quo foetus per cruentam abdominis aperturam eximitur, *Caesareus* vocatur.

§. 791.

Quoties per viam naturalem nulla arte foetus extrahi potest, artificialis abdominis apertura necessario requiritur, quare eadem fieri debet,

- α) In femina foetu maturo grauida, eaque pelvis angustia laborante, vt operatoris manus in vterum demitti nequeat.
- β) Quando vteri vel vaginae orificium, pelui licet optima, neque a natura, neque ab arte eousque diduci potest, vt manum operatoris admittat.
- γ) Quando extra vterum foetus, vel ipse vterus in hernia quadam haeret. Hisce enim in casibus satius est anceps experiri remedium, quam nullum, matremque vna cum foetu certissimae forti relinquere.

§. 792.

Quoties integer foetus nasci nequit, certissime autem mortuus vel monstrosus cognoscitur,



scitur, atque manui & instrumento operatoris aditus in vterum patet; foetus in frustra dissectio operationi caesareae ancipiti praeferenda est, quamuis illa plus & laboris & dexteritatis requirat.

## §. 793.

Foetus etiam caput, in peluim firmissime depectum secari debet, si quidem superior peluis apertura non minus angusta est, quam inferior. Non solum enim foetus ut plurimum mortuus est, sed & ipsum cranium per superiorem aperturam, salua matre, retrahi nequit.

## §. 794.

Grauidas defunctas in vniuersum omnes aperiendas esse minime dubitare licet, quod mortuae nihil patiuntur, foetus autem, praecipue si fatis in tempore operatio fiat, viuere adhuc dum possunt.

## §. 795.

Propter magnum & graue vulnus, matrisque vires ut plurimum debilitatas, dubius quidem huius operationis euentus est; absolute autem lethalem non esse frequentiores, ab imperitioribus etiam institutarum operationum, obseruationes docuerunt. Etenim



- α) Abdominis vulnera sanari posse, notum est.
- β) Vteri grauidi vulnus ab ipsa vteri contractione arctatur, quare sanguinis fluxus cessat, atque ad consolidationem vulnus disponitur.
- γ) Haemorrhagiam minus periculosam reddit nimia cruoris in vtero abundantia.
- δ) Integumenta vtero contigua sanguinis in abdomen defluxionem arcent.
- ε) Liberum autem sanguini ex corpore effluxum orificium vteri apertum concedit.

## §. 796.

Quo melius autem haec operatio instituat, sequentia notanda veniant.

- 1) Omnis instrumentorum apparatus, a grauidae conspectu remotus, ad manus fit, reliquaeque cautelae, in omnibus chirurgiae operationibus obseruandae, minime negligantur.
- 2) Ne vesica lotio distenta, & supra os pubis eminens, cultello secanti offeratur, lotium ab aegra vel deponatur, vel fistula caua educatur.
- 3) Aegra in lectulo supina cubet, a ministris firma non solum contineatur, sed & facies ipsi obueletur.



- 4) Integumenta dein operator, commode locatus, abdominis musculos atque peritoneum cautissime fecet.
- 5) Hysterotomo vtatur in suo manubrio firmato, quantum robur admittit tenui, longo, lato, atque acutissima acie praedito, in hunc usum speciatim fabrefacto. Forfices, contundentes quippe atque dolorificae, exulent. Simile, sed minus, incommodum scalpella vulgaria premit. Nouaculae vsus nimis incertus est.
- 6) Maxima abdominis eleuatio, si caetera consentiant, in foetu extra vterum haerente, vel hernia vterina, locum incidendum determinet.
- 7) Is vero eligatur, qui hydropicis perforari solet, quoties intra vterum foetus moratur, vterusque suetam abdominis regionem occupat.
- 8) Integumentis & musculis dissectis leuior plaga peritoneo infligatur, in plagam digitus vel specillum fulcatum immittatur, huiusque ductu vulnus, quantum necessum videtur, hysterotomo dilatetur.
- 9) Foetus in ipsa abdominis cauitate haerens mox eximatur.



- 10) Plaga vero in vterum, tubam, vel ouarium, maxima cum moderatione, continuetur, si hisce in partibus foetus continetur. Ne vero ipsius membra laedantur maximo-pere medicus sibi cauere debet.
- 11) Postquam foetus extractus est, vulnus decocto quodam vulnerario & calido expurgetur; leni manus compressione vulneris orae sibi iungantur; linamentis & stypticis vasa copiosiore cruorem fundentia comprimantur.
- 12) Ipsa aegra blandis roborantibus reficiatur, & infantis debita cura geratur.
- 13) Vteri vel tubarum vulnus sibi relinquatur; id solum caueatur, ne aër accedat, vel immundities foedent.
- 14) Abdominis vulnus fascia vniente constringatur; apertura, quae humoribus effluxum concedat, relinquatur; atque subinde iniectionibus expurgetur.
- 15) Sutura cruenta prius non iniiciatur, quam summa necessitas eandem postulauerit.
- 16) Situ supra vulnus atque decliui ipsa aegra humorum effluxum iuuet.



17) Reliqua perficiantur ex generalioribus, quibus grauiora vulnera diriguntur, regulis.

§. 797.

Neque etiam descriptae cautelae in mortua matre negligi debent. Quando grauius forsitan deliquium mortem simulauit, materque reuiuiscit, operatorem caute processisse minime poenitebit.





## Errata.

- P. 5. lin. 7. *coniugatam*  $4\frac{1}{2}$ . leg. *coniugatam*  $4\frac{3}{4}$ .
- P. 9. §. 21. lin. 5. ab vlt. post *venereae* adde *scorbuticae*.
- P. 16. §. 39. l. 3. *quatuor vel quinque* lege. *septem vel octo*.
- P. 23. l. 2. *maximae*, leg. *maxima*.
- P. 51. l. vlt. ante *Colorem* ponatur numerus quartus, ita vt noua linea incipiat 4<sup>o</sup>) *Colorem &c.*
- P. 52. l. 2. post *relaxant* deleatur punctum. & l. 3. deleatur 4<sup>o</sup>), ita vt iunctim legatur. *atque vaginam relaxant morbi cachectici*.
- P. 54. §. 120. lin. 6. post *conspici* adde *quandoque*.
- P. 60. §. 136. l. 3. post *vires prostratae* adde *somnolentia*.
- P. 85. l. 2. leg. *alantois*.
- P. 140. lin. 4. ab. vlt. leg. *praecauentur*.
- P. 141. §. 258. l. 4. *medium*, leg. *dimidium*.
- P. 147. l. 7. ab. vlt. leg. *adstantibus*.
- P. 155. l. 2. ab vlt. post *manus* adde *commode*.
- P. 168. l. 7. ab. vlt. 306. leg. 305.
- P. 172. η) leg. *sudorem*.
- P. 173. *Cap. XIV.* leg. *Cap. XIII.* & sic reliquorum etiam capitum, vsque ad *Cap. XXIV*, numerus minuatur.
- P. 184. §. 355. l. 1. leg. *operator*.
- P. 209. l. 5. leg. *Mauriceau*, *Denysii*.
- - l. 6. post *e quibus* adde *Denysianum*.
- P. 265. §. 559. l. 2. post *vaginae*, adde *vel uteri*.
- - §. 560. l. 2. post *vaginae* adde *vel uteri*.
- - - - l. 5. post *vaginam*, adde *vel uterum*.
- P. 290. §. 620. l. 3. leg. *impulsae*.





















